

SOLATIUM PODAGRICORUM. LUSUS SATYRICUS,  
ADVERSUS BURCHARDUM SALLIUM GINTRIONEM, CAVILLATOREM.

- P1 v.1 Demens qui sacros Podagrae temerare labores  
2 ausus es, et foedis Dominam proscindere dictis.  
3 Illa Jovis magni nurus est : quia filia Bacchi  
4 ex Diva Cypri tota inde propago nepotum.  
5 Morbi alii putribus caussi ex fomite nati :  
6 hunc produxit Amor, blandaeque licentia vitae.  
7 Non est progenies flavae miseranda, vel atrae  
8 bilis ; nec diri trahit ortum ex faece catarrhi.  
9 Et alma Venus morbum hunc ex vite creaverunt.  
10 Si tamen est morbus. Negat Antricellus Iopas.  
11 Dum persentit enim stimulos, et vulnera serrae  
12 urentis ; vinum medicos deposcit in usus :  
13 impletosque trahit cyathos laetissimus aeger,  
14 Uxori trepidae, et carchesia crebra neganti,  
15 non sine consilio, saevum persuadet acorem  
16 haustibus imminui. (Spatiosi astutia ventris ! )  
17 Sic madidos saepe aspicit, et fruitur diis  
18 iratis. Quia triste nigrum solet vertere in album.  
19 Album sive rubrum, nil refert, haurit utrumque,  
20 an Podagra tali quidquam pote dulcius esse ?
- P2 v.1 Juppiter , ut perhibent, qui fingunt multa locuti ;  
2 nectare cum potus de mensa surgeret ! Ictus  
3 offenditque pedem, ac doluit, puditque notari.  
4 Duxerat ingentem plagam. Tunc caelicolum Rex  
5 sanxit : ut Heroum posthac dolor omnis ad immos  
6 deflueret talos ; siquis divinus haberi  
7 vellet et insignis : Baccho decreta probante.  
8 In diis primus erat Vulcanus ; qui pede recto,  
9 Claudus adulator, nunquam fuit usus utroque :  
10 Patris ad exemplum. Sed cum fera bella Gigantes  
11 instruerent, sursum jaculati saxa ; cucurrit  
12 nequidquam simulans, malleo post terga relicto.  
13 Posse videbatur volitare per aera more  
14 alitis. Usque adeo velox timor addidit alas.
- P3 v.1 Occupet extremum scabies, pannosaque febris.  
2 (Gintrio, quid culpes, jamjam importune videbis.)  
3 Morbus hic induitur gemmis, et torquibus aures :

4 armillasque gerit manibus, colloque smaragdos.  
 5 Non est communis lixis, vulgoque frequenti ;  
 6 cerdones refugit : nec de lodice paratur.  
 7 Maecenas te laute petens, multumque supine.  
 8 Seligit aulai thalamos in turribus altis :  
 9 auratumque habitat, vel eburno ex dente lacunar.  
 10 Pensilibus vehitur (tu Gintrio ringere) rhedis.  
 11 Fulcitur plumis, et pulvinaribus albis  
 12 vive diu infelix, morbo indignissimus iste.

P4 v.1 Haec mihi persuadent pensanti commoda, non tam  
 2 esse male Opdagricis, quam Sallius ore canino  
 3 arguit. Utque probem, Livornum in olore cubantem  
 4 convenio, quid amice vales ? Cane pejus et angue.  
 5 Quomodo ? Distringar. Sunt vincula forsitan amoris  
 6 Serica. Dic ; restes. Inclusus verminat ignis,  
 7 et furit, et totam pedibus superingerit Aetnam.  
 8 Phantasmus hoc dictat malesana in somnia natus.  
 9 Quaeso : non ulules adeo, quasi culleus arctet :  
 10 Quippe hic mordebat vero cane pejus et angue,  
 11 ardeo. Divine. Pollex discerpitur astu :  
 12 Divine. Ah uror ! Divine. Tendimus ultra !  
 13 Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere possint  
 14 Pergamei et Coi : vivis sub caesare morbo.  
 15 Accusas Podagram, quum sit mirabile donum.  
 16 Ardeo. Titillat divini flamma caloris :  
 17 qualem de caelo fertur rapuisse Prometheus.  
 18 Ut Dii te rapiant glaciale ad Caucason usque.  
 19 Si mea non ficto tibi sors placet ; accipe partem.  
 20 Ah ! non sum dignus tam grandi munere Divum.  
 21 Non est in votis hominum sors ista locata,  
 22 sed Fatis, Fato regeris : tibi Fata ministrant.  
 23 Quod mulcet, Fatum est. Tu felicissimus esto.  
 24 Dii tibi delicias dederunt artemque fruendi.  
 25 Gintrio quod munus daret, ut contingere posset  
 26 Fortunae hunc apicem ? Contentus sorte sua sit :  
 27 vescaturque fabis, et lente, et furfure cano :  
 28 tu lepores et sumen edis, Rhenoque lavis.

P5 v.1 Heu vitae mortisque pudor ! Tutela vocetur.  
 2 Hoc morbo vacuus species jam funeris esses.  
 3 Pro Furia ! o quid agis Naturae ingratus amicae ?  
 4 Quam Furiam appellas. Poteras dixisse Thaleiam  
 5 Euphrosynam, Aglaiam. Charis est, quam crimine damnas.  
 6 Non sinit Aleto hac a lecto tollere corpus.  
 7 Carior es. Talem nescit dimittere sponsum ;  
 8 quem genibus gestit totis amplexa, tenere.  
 9 Urit amat, dicas, quae fervida : certius ambit.  
 10 Frigida, suspecta est. Signum nullum edit amoris.  
 11 Vix tentis illam : non est hoc nomine digna.  
 12 Quae tibi singultus parit, et suspiria rauca ;  
 13 Corque ciet, lacrimasque ex cordis fonte profusas  
 14 Cum gemitu : potiore tibi dilecta vocari  
 15 jure queat. Sed enim corpus nimis urit acute.  
 16 Gaude, Naturae bona consentanea nactus.  
 17 Ingenium auritum non fert morbos, nisi acutos.

- P6 v.1 At responsa paras, et sic ais. "Haec bona si sint  
 2 natura vel fortuna, cur rusticus illis,  
 3 Ede, caret ? Quando longe est his dignior insons,  
 4 integer et rectus." Ne quaeras : rusticus uti  
 5 nescit, et hoc donum vix una intelligit aure.  
 6 Ignorat quid sit regaliter ille dolere.  
 7 Scilicet intrabit Podagrae sublimis imago  
 8 stramineas casulas, stipulisque mapalia fulta :  
 9 caeruleam ut Cererem confringat, et allia ructet !  
 10 Tu sapiens, tu magnanimus, liquidoque Deo vir  
 11 conjunctus, buccisque tumens : qui subdere Gangem  
 12 possis, et plures Indos submittere Thyrsos.
- P7 v.1 O quam fida tibi, bone vir, quam Nympha pudica  
 2 contigit ex paucis ! Sublapsa ad crura pedesque  
 3 admitti demissa petit, sponsumque salutat.  
 4 Numquid amat ? Tamen igne cales. Tamen illa favillae  
 5 excitat, et miro stringit sufflamine nervos.  
 6 Proinde illam salvere jube : nisi forsitan ipsa  
 7 te jubeat salvere prius : qui virginis est mos  
 8 Spartanae ; Spartamque offert tibi rite colendam.  
 9 Redde vices : blandire, fove : bene habere memento.  
 10 Non comedit caepas, et fercula Pythagoraea.  
 11 Detestatur olus, porrique comantia sila.  
 12 Muraenas, rhombos Tyrrheno ex aequore mavult,  
 13 forsitan et anguillas : et siquid rarius exstat.  
 14 Pone apros : aliquid plumarum ex montibus illas,  
 15 quos venatores, dum scandunt saxa, ruina  
 16 nobilitant. Quoniam melior fit mortibus horum  
 17 praeda nocens : adeoque ipsis praefertur alaudis,  
 18 et mille asparagis. Dabis haec jentacula Sponsae.
- P8 v.1 O te felicem, si vincla jugalia servat.  
 2 Servabit. Securus ames non alter habebit  
 3 rivalis. Nullus sese interponet amator.  
 4 Tu Paris Idaeus, tu Protesilaus es olli.  
 5 Legitime ducti. Quippe inter vina, choreas,  
 6 oscula. Quot testes adsunt ? Datus annulus : ille,  
 7 quem caupo, nummis jam deficientibus, aureum  
 8 accepit, toto nuptam mercatus es asse :  
 9 altera siqua tibi est fidissima quamlibet uxor :  
 10 non tamen interius, velut ista, medullitus haeret.  
 11 Sunt inconstantes aliae ; Lunaque recursu  
 12 mutatae vario, dubia levitate vagantur :  
 13 contemnuntque viros, et flammea trita relinquunt.  
 14 Haec constanter amat. Vix ipsa in morte relinquet.  
 15 Illa rogam pariter, post funera, crine soluto  
 16 insiliet, more Indorum. Comitabitur una  
 17 Evadne Capanea suum, fulmenque revellet.
- P9 v.1 Me torquet conjux. Tormentum optabile. Fictus,  
 2 immo nullus amor, si non vexaret amantem.  
 3 Haec natura rei, pactum hoc est inter utrumque.

- 4 Sic convenistis. Standum, aut utrimque cadendum est.  
 5 An non sit melior lambens humore pedes, quam  
 6 Xanthippe ? Lotium haec in colla caputque mariti  
 7 fuderat. Ergo comas radicitus abstulit omnes.
- P10 v.1 Adde : quod est habilis ; formae se accommodat omni.  
 2 Vis Podagram ? Brevis est. Mavis retinere Podagram ?  
 3 Longa fit, haud ideo generis communis. (Abesto  
 4 Gintrio) quippe fidem sanctitam faedere servat :  
 5 (sicut tu cyathos vegrandes atque deunces : )  
 6 ante tuae vitae non abscessura peractos  
 7 circuitus.
- P11 v.1 Captus sum pedibus. Sed non et mente. Suprema  
 2 parte tui felix, extremam despice partem.  
 3 Libera mens caelum tranat. Mens sidera volvit.  
 4 Quo dic, Mari, pedes ? Cur haec jactura lacessit ?  
 5 Non es Schoenobates, non cursor ; sed neque textor.  
 6 Ad quid opus pedibus ? Dromus hos tuus et Geta curent.  
 7 Tu quasi vitali residens in puppe quiescas.  
 8 Non minus attinges portum, ripamque salutis :  
 9 quam si fluctivagos tenearis ducere remos.  
 10 Currit Atlantiades : sine currere, sedulus urget  
 11 exercetque pedes Baharon ; sine texere. Fingit  
 12 Murdochius, versatque rotam ; sine vertere in orbem  
 13 paupertatis opus. Nihil instrumenta lutosa  
 14 ad te pertineant. Nihilo minus es satur, et rex  
 15 inter convivas. Aliorum quidquid egentum  
 16 nocte dieque labor quaerit ; laetatus habes jam.
- P12 v.1 Vidi ego perpetuum defixos corpora lecto,  
 2 Mercurii studiis, lucrisque operarier aequae,  
 3 ac mercatores, seu Francos, sive Batavos :  
 4 qualesve Ormusium ditat, portusque Goanus.  
 5 Sepia cum calamo, signisque inscripta papyrus  
 6 rem totam peragunt : domino mandante quieto.  
 7 Ut quid enim terram et pelagus peragrare necesse est ?  
 8 Littera picta potest totum percurrere mundum.  
 9 Imperet. Ad nutum peregrinas navita merces  
 10 immensasquetibi, ventis a quattuor, alnus  
 11 convectabit opes. Sic gaza redundat in arcam.  
 12 Et vobis mendax ac vilis Sallius aera  
 13 exprobret ; ac resides annos, inopemque senectam !  
 14 Sed nil curemus momi dicteria, Marce.  
 15 Sentiatur ille famem tu turdis plenus et omni  
 16 fetura altilium, post nullos ostrea cenas.
- P13 v.1 Quantum aliqui pedibus fetent ! Vix hircus olere  
 2 intolerabilius queat, atque occidere nares.  
 3 Causa, putris massa est, nulloque excocta calore,  
 4 at tuus excoquitur sudor ; sacrisque subactus  
 5 missilibus podagrae, tantum non balsama spirat.  
 6 Quid spirare putas Burchardum ? Dicere taedet.

- P14 v.1 Anne doles, quod habere pedes Natura tibi det,  
 2 Quis doleas ? Praestat, vel sic quoque habere dolentem.  
 3 Hasce tuae fabricae, quanta est, scito esse columnas.  
 4 Idolum Dagon, cum fractum, et imagine truncum  
 5 absque suis jacuit pedibus ; contemnere coepit,  
 6 qui coluit. Gaude. Scis, et te scire fateris  
 7 creber habere pedes. Quoties ex arte dolendum est,  
 8 (praescribunt menses) jam jam poneris in ara.  
 9 Tu cave, Sancta Dei praesens ne destruat Arca.  
 10 Nec contra hanc animi passus molire superbos :  
 11 ne mordens terram recidas, membra omnia fractus.  
 12 Hoc age, Caelitibus magnis prosternere supplex :  
 13 inque tua casum nullum umquam sede timebis.
- P15 v.1 Marceo. Qui cubat in violis, mollique grabato :  
 2 hunc marcere putem. Tu cingeris undique spinis :  
 3 introrsumque rubos persentis fortiter actos.  
 4 Morbo illustraris. Pugnas, vincisque dolorem  
 5 infixum. Perage, et majora ac digna capesse  
 6 spectatore Deo. Sic adversante novercam,  
 7 maximus in media jacuit Tirynthius Oeta :  
 8 versavitque pyram, mortalesque exuit artus.  
 9 Hujus ad exemplum, quicumque hac sorte beatis,  
 10 viribus et toto connitere pectore contra.  
 11 Irruat in nervum trepidantem causticus humor.  
 12 Tu ne cede malis, sed contra audentier ito.
- P16 v.1 Non possum pedibus niti. Num tanta voluptas,  
 2 per madidum et siccum metiri strata viarum ?  
 3 Robusta virtute decet, non poplite, niti.  
 4 Contemnis pueros equites in arundine longa.  
 5 Cur non et quemvis pedibus contemnis euntem ?  
 6 In sponda recubat Masinellus, quomodo reges  
 7 Cocini recubare solent ; Brasilique tyranni.  
 8 Sublimes in corbe sedent ; humerisque feruntur  
 9 servorum, suavem mandentes dentibus herbam,  
 10 sic et linigeri per sudi regna Canopi  
 11 nigra sacerdotes portant simulacra, canuntque :  
 12 tergeminumque suo venerantur more Molosum.  
 13 Hinc discens aliquid, divos imitare sedentes.  
 14 Non movet Idolum sese spectabile : nec tu.  
 15 Non ululat. Cur tu latratum saepius edis,  
 16 in media Podagrae pompa ? Compesce furorem,  
 17 et bilem substringe parum. Da mitia verba.  
 18 Talem ego si videam : tantum non pronus adoro,  
 19 et mecum : hic hominem excedit. Situs iste Deorum est.  
 20 Quam bonus et placidus ! Neque dedignatur adiri,  
 21 palparive genu ! Sese ocius inferet astris.
- P17 v.1 Est sublimis avis Paradisi, pulchra colore,  
 2 pulchra renidentes plumas, et ab Iride tinctas.  
 3 Sed mirabilius nil contempleris in illa ;  
 4 quam quod utroque caret pede. Nescia sistere terris,  
 5 taeniola duplici libratum corpus in aura,  
 6 aetherium suspendit onus, contagia vitans.

- 7 Non sentis fieri vicinum te Paradiso ?  
 8 Qui pedibus manibusque cares. Modo Daedala virtus  
 9 affigat tergo pennas, ceramque volucrem :  
 10 Davidicae poteris tractus aequare columbae.
- P18 v.1 Musculus irridet. Majore explode cachinno.  
 2 Invideat fortasse tibi miserabilis osor.  
 3 Te videt in thalamo residem decerpere somnum :  
 4 ipse fatigatus trans Gargara mittitur ire  
 5 hinc procul, et furvi lucrari frustula panis.  
 6 Tu bibis ex auro : fontem illi vasa propinant  
 7 ex vili confecta luto. Tua mensa renidet :  
 8 ille unguis rodit. Somnus tuus ansere constat :  
 9 ille premit scalas. Stadio decurrere mallet :  
 10 quale Eleus equus radit, vel Olympicus axis.  
 11 Ah ! cessa. Ad mortis metam, quae debita nobis,  
 12 vel tua sella feret. Furor est, odisse quietem.
- P19 v.1 Si Solem excipias, et conscia sidera, quorum est  
 2 officium ac genius, gyrando posse moveri :  
 3 si ventos, Scythiae buccas per inane sonantes,  
 4 fluminaque in vastum se praecipitantia Pontum :  
 5 caetera amant, ac paene petunt sibi cuncta quietem.  
 6 Fraxinus in silvis, abies in montibus altu  
 7 Stant fixae radice sua ; florentque virentque.  
 8 At simul ex gremio Terrae succisa parentis  
 9 ardua pinus abit. Casus visura marinos :  
 10 dat poenas arbor levitatis, et aequore mersa  
 11 naufragium patitur. Deflent ea fata sorores  
 12 frondibus attonitis. Nisi me sententia fallit ;  
 13 Prorsus deliras, quid te cupis, oro, movere ?  
 14 Ipse Deus manet immotus, , semperque quiescit.  
 15 Ultra aliquod votum est ? Lecto defixus adhaeres,  
 16 polypus ut scopulo, cognataque spongia petrae.
- P20 v.1 Sis licet Hippomenes ; tua tecum Atalanta, Podagra est.  
 2 Non illam pomo jacti remoraberis auri  
 3 in latus obliquum. Sed te remorabitur illa.  
 4 Qualia vota facis ? Stadio decurrere mallet.  
 5 Curre animo potius. Festa cingere corona  
 6 virtutis stadium emensus, circumque frementem.  
 7 Si desideriiis sic indulgere necesse est :  
 8 cur non et pennas corvi vel hirundinis optas,  
 9 aut picae ? Quoniam pica praegnante laboras.  
 10 Cur non et grallis, cur non cupis ire petauro ?  
 11 Sat cuivis Natura dedit, si noverit uti.  
 12 Vota parum prosunt. Stultorum est, multa vovere,  
 13 quae data dedeçant. Ut caudam siquis equinam  
 14 optet, et Harpyiae curvatos praepetis unguis :  
 15 ursorumque truces rictus, dentesque luporum.
- P21 v.1 Ausculta. Dictum furis memorabile narro,  
 2 esse sua quemvis contentum sorte jubentis.  
 3 Autolyçi fratrem lepidum, de gente rapaci,

- 4 forte ad supplicium, manibus post terga revinctis,  
5 ducebat lictor, populo stipante, necandum.  
6 Ibat ovans, alacer, robustus Pansa. Fenestra  
7 prospiciens aliquis declive podagricus : "O si  
8 dixerat, hasce bases, quae portant hunc nebulonem ;  
9 tam validas, o si plantas donatus haberem !"  
10 (Nam cui crura bono bona, sed mox pendula ? Quamvis  
11 marmoris Oebalii sint instar firma, vel aeris ! )  
12 Furcifer audierat, subito conversus : et "O si,  
13 respondit, "nostrum collo mutare liceret,  
14 dulcis amice, tuo. Voto frueremur uterque,  
15 quisque suo." Ast alter collum retraxit." Abito  
16 ad restim." Nondum huc, inquit, res nostra redacta est.  
17 Sane : si sapias, sic respondebis et ipse.  
18 Alterutro, ponam, pede vel collo esse carendum.  
19 Quis pede non malit ? Cervicem demere, durum est.  
20 Haec non continuo truncata repullulat arbos.  
21 Arboris inversae radix a vertice vires  
22 in stirpem spargit. Contraria quercus ab immo  
23 nutritur trunco, fixa radice deorsum.  
24 Hac salva quis enim curet frondesque pedesque,  
25 ramosasque manus ? Poties Cephalea timenda est,  
26 qua Podagra hic raro, nisi plusquam annosa, trucidat.
- P22 v.1 Non igitur cupias, melioris origine vitae  
2 praeditus, ad pastum porcorum trudere glandes.  
3 Longe alios fructus a te, qui quaerit et auget,  
4 conditor exspectat ; promptus caelestibus hortis  
5 inferre, atque illis mensas ornare secundas.  
6 Quam pedibus calcas, terram contemne jacentem.  
7 Carior es Superis. Ideo sublime dederunt  
8 os animumque tibi, rectosque ad sidera vultus.  
9 Effigiem a pedibus nemo sibi sumere curat.  
10 Dimidium pictus, collo tenuis, hoc homo totum est.
- P23 v.1 Quin etiam tumuere manus. Fortassis avaro  
2 peccasti vitio : manibusque chiragra medetur ;  
3 furtaque ad articulos vocat ? Et numerare juberis,  
4 quot tuleris nummos, fraudes et crimen olentes,  
5 pupilli argentum, viduarum lacrima, pix sunt.  
6 In digitis haeret. Subtracta haeredibus ardent.  
7 Projice dona manu ; chiragramque evaseris omnem.
- P24 v.1 Nunc age Musa, refer choreas. Quis credere possit ?  
2 Opdagrici cunctis Saliari ex ordine palmam  
3 praeripiunt. Quoties agitant, quid castius illis ?  
4 Cautae subsiliunt : et humo vix calcibus icta,  
5 mollia suspenso vestigia crure reponunt.  
6 Quos inter melior Savendola ceu pede nude  
7 pressurus tribulos, urticarumque manipulos.  
8 Vidimus a podagra surgentem, ducere sponsam :  
9 quosque jubebat Hymen, saltando carpere gyros.  
10 Tam molli rasit substrata tapetia passu  
11 ingrediens ; ac si vitreus, vel laneus esset.  
12 Caeciliam Sponso scires nupsisse polito ;

13        quique modestus amet : multum de moribus aulae  
 14        traxerit Hispanae ; nitida gravitate decorus.  
 15        Meinradus Panarot, quem saepe accessimus ipsi,  
 16        aeger et infirmus, scisso vix aere saltat.  
 17        Non calcat terram, sicut tu crasse Menalca ;  
 18        Crasse Nabuzardan, caupo crassissime Garse.  
 19        Pulvereus surgit vobis bacchantibus aer ;  
 20        et tremit ad biforem motu domus excita buxum.  
 21        A Podagra discas, quid sit servare decorum.  
 22        Quando etiam facit esse pios, sanctique pudoris  
 23        custodes. Non sunt, sicut tu Gintrio, capri :  
 24        telluremque suam matrem calcare verentur.

P25      v.1        Hoc ipsum veritus si tu quoque Calve fuisses,  
           2        eversor patriae, deductum nomen Iulo :  
           3        sub pedibus non Roma tuis fudisset obortas  
           4        ex Tybri lacrimas prostrata, obtrita, subacta.  
           5        Impie, non poteris miserandae parcere Matri ?  
           6        Palluit, erubuit : mutata est corpore toto.  
           7        Insuper excussae fluxerunt vertice tures :  
           8        nec sensit verum terrae Pharsalia motum,  
           9        nescia mens hominum bene divinare futura.  
 10        Quod juvenis Caesar digito scaberet caput uno ;  
 11        Sulla querebaris. Vanum. Sive omine laevo  
 12        ipsa sibi mens augur erat : seu Fata ferebant.  
 13        O quanto potius, si mens non laeva fuisset ;  
 14        debueras timuisse pedes, et non caput : istis  
 15        calcavit Romam, libertatemque togatam.  
 16        Per mare, per terras, ad damna et Fata cucurrit.  
 17        Profuerat, semper manibus pedibusque ligatis,  
 18        in molli pluma, viridi Ptolemaidos horto,  
 19        constrictum jacuisse : velut Catilina jacebat.  
 20        Semper enim lecti vinclis haerere coactus !  
 21        Nunquam transisset Rubiconem milite ducto  
 22        ad quaevis imitanda : nec alea jacta fuisset.  
 23        Nec tantum Latii fudisset in orbe cruoris  
 24        Thessalico : neque triste nefas serpsisset in arcem  
 25        Tarpeiam, frangens Fasces, Brutique secures.  
 26        Est, ubi proficimus morbis fitque utile damnum.

P26      v.1        Salve Virtutum, salve nodosa magistra,  
           2        quae nisi firma domi semper retineret Acostum ;  
           3        curreret ad moechas : ad easdem vulgus et Anxur  
           4        curreret ; et quidquid foedorum Grammaticorum est.  
           5        Ne peccet Laser, hoc laqueo retinetur et unco.  
           6        Quis non in pedibus laqueo, quam faucibus optet  
           7        ferre suis ? Ni fur agilis, versutus et audax  
           8        et celer, et sanus ; nunquam conabitur atra  
           9        nocte parere scelus : scalis conscendere tecta :  
 10        et resupinatis intrare cubilia valvis.  
 11        Prenditur. Ad strictum certa est sententia funem.  
 12        Quid guttur Nello fregit ? Fiducia crurum.  
 13        O quanto satius pedibus caruisset acutis :  
 14        cumque tua Podagra, placida dormisset in umbra.



- P27 v.1 Accuso nimium querulos de sorte maligna,  
 2 ingratos Superis, ignorantisque bonorum,  
 3 quae vehit hic morbus secum. Non aequor arare  
 4 cogeris, aut duras vertendo frangere glebas.  
 5 Prodo dolum. Noster Cucuphas, horrore laboris,  
 6 mavult in molli segnis putrescere pluma,  
 7 quam currus agitare, aut findere ligna securi :  
 8 atque adeo simulat Podagram, ut lentescere possit.  
 9 Poplite tam sano nutat, quam caespitat aegro  
 10 curvus Stampolides. En, quanta libido sedendi !  
 11 Quot desideriiis petitur lucrosa Podagra,  
 12 otia agens ! Nisi cum dens invitatur ad offam.  
 13 Tunc validas sumit vires, et crescit eundo.  
 14 Ut canis ire sagax, domino cum cena paratur ;  
 15 ad longum jejunos iter vestigia tardat.  
 16 Vertagus est, quoties afflat convivium nidor.  
 17 Verum ergo dixti nobis Venusine poeta :  
 18 "Optat ephippia bos, piger optat arare caballus".  
 19 Hic odit Podagram ; petit ille, aut fingit habere.  
 20 Nunquam hominum variis respondent omnia votis.  
 21 Nunquam inter sese conspirant omnia vota.
- P28 v.1 O cur non morior ! Moriendi tanta libido est !  
 2 Quin te cum Turno desperante ejicis ergo  
 3 et mundo, et vita. Terram satis usque gravasti.  
 4 Sit tibi terra levis, jam dudum proximus haeres  
 5 inclamat. Quonam usque preces frustraris et unguis ?  
 6 Nimirum, puerile gemens, convinceris aegre  
 7 velle mori. Velut ille senex, qui pondere lassus,  
 8 pertaesusque gravis vitae, cum Fata vocaret,  
 9 horruit aspectu ; simul atque apparuit atra,  
 10 longa, inopina, minax, foedo Mors oris hiatu ;  
 11 abjectumque humeris fascem replicavit onustis :  
 12 seria nequidquam se verba fuisse locutum  
 13 testatus : lacrimisque preces admiscuit, orans,  
 14 parceret. O dulcem potius cratera revise,  
 15 et madida admorsu, "Wolffgange" infige labella.  
 16 Hic tua vita latet. Vappam praedentur amici.  
 17 Nescis, heu, nescis ; quae sint verissima vitae  
 18 Gaudia. Mens terrore carens, fortisque ferendo  
 19 adversas acies, et turbamenta malorum :  
 20 justitiaeque rigor, pectusque domabile numquam.  
 21 Ut quid suspiras ? Animone libentius aeger  
 22 esse velis, laesi membre quam corporis uno !
- P29 v.1 Quanta haec commoditas ! Gravibus non ire cothurnis,  
 2 agrestes non perones gestare juberis.  
 3 Linea vincla pedem dominum, vel lanea cingunt :  
 4 ex panno soccus, nonnumquam ex vellere Serum,  
 5 quam fieri potuit mollissimus atque repandus ;  
 6 ne premat. Ex ligno te, Salli, vel bove crude  
 7 scissus, ut obscurum fossorem calceus armat.  
 8 Qualis item series ! Succedit sponda sedili ;  
 9 atque iterum sedes spondae, ut lux candida nocti :  
 10 alternantque vices modico discrimine, cantus,  
 11 posta quies, epulae, sermones atque lepores.

- 12 Mille alia ex aliis delectamenta sequuntur.  
 13 Et Livorne gemas, quod dote fruaris inempta ?  
 14 Quod non ire queas ? In fune quod histrio non sis ?
- P30 v.1 Urbem finge capi. Nisi pardum in pectore gestet  
 2 aut silices hostis, foeta truculentior ursa :  
 3 caetera quantumvis populetur, parcit habenti  
 4 immunem Podagram, sani genus utile morbi.  
 5 Ecquid enim peccet, qui vallum scandere nescit,  
 6 inque oppugnantes stridentia volvere saxa,  
 7 ut rursus de monte ruant. "Armatus oportet",  
 8 dixit Alexander Magnus, "sit, quem premo ferro,  
 9 aut odio". Gladium si ponit, vivere pergit.
- P31 v.1 Jamne igitur sentis Podagram prodesse volenti ?  
 2 Haec tibi persuadens hortatur acumine multo,  
 3 ut quamvis dulci spument carchesia musto,  
 4 sobrius esse velis ; nec non servare diaetam.  
 5 Intus adest monitor, Chironque domesticus angit,  
 6 et fodit Aeaciden : ne quid nimis ausa sequenti  
 7 nocte lues. Siccum praestabit radere litus.  
 8 Naviget assuetus Bacchaeo in gurgite Saxo ;  
 9 Westphalus aut aliquis : si jam non Alsata posses.  
 10 Quem servire ferox Gallus docet atque sitire.
- P32 v.1 Praeterea nutrit, ditat, fovet. Educat, auget.  
 2 Pictor erat Trussus, non impar forsitan Apelli,  
 3 quid faciebat ? Eum nisi detinuisset in umbra  
 4 torva domi Podagrae rabies ; ad pocula mane  
 5 ire foras : noctu potusque amensque redire.  
 6 Ad paupertatem gnata atque uxore redactis :  
 7 Ursula ter Superos mediosque implorat, (et Immos,  
 8 sed tacite.) Vovit. Votum Deus audiit aequum :  
 9 immisitque viro pedicas. Nolensque volensque  
 10 et servare Lares, atque intra tecta manere  
 11 cogitur. Ergo rapit concham, miscetque colores :  
 12 et pictas magna tabulas insignit opum vi.  
 13 Intra tres annos, tres, inquam, aestatis aristas,  
 14 horrea complevit frumento, dolia vino,  
 15 argento cistas, uxorem divite cultu.  
 16 Hic saltem Podagrae, totum, puto, debuit assem,  
 17 thesaurosque suos. Nescimus saepe, quid obsit,  
 18 quid prosit. Superis, si quid sapis, ista relinques.  
 19 Quas alius quas ore preces ? Pictoris ut hujus  
 20 de quadra, vel penna volans, vel parvula spicae  
 21 mica cadens, alvum Codri satiaret inanem ?
- P33 v.1 Hoc quoque commendat Podagrae venerabile donum.  
 2 Matrem incremento Naturam perficit almam.  
 3 Haec tibi quippe pedes graciles dabat atque pusillos.  
 4 Fecisti crassos, pondusque admittere jussos.  
 5 Jam passu tanto graviore incedis, ut olim  
 6 Tros Anchisiades. Capitis superadjice gazam  
 7 derasi, defaecati, multumque capacis.

- 8 Quod vibret radios, et splendeat absque tenebris ;  
 9 debetur Podagrae, faeces ex arce supremi  
 10 verticis ad plantas, et fundamenta trahenti.
- P34 v.1 Bamba caret pedibus cervi : tamen obtigit illi  
 2 millibus e multis longa et cervina senectus.  
 3 Si levior capream potuisset vincere cursu :  
 4 defunctus tanto velocius isset ad Umbras.  
 5 Non minus hoc vere dictum tibi, Marce, putabis.  
 6 Vivere Fata diu cui concessere ; negarunt  
 7 ire diu. Quid habes igitur, quod jure queraris ?  
 8 Si bona confluerent, non posses omnia ferre :  
 9 ingenium, formam, fortunam, nomen, opesque,  
 10 divisit sapiens Natura ; pedumque negando  
 11 usum perfectum, donavit caetera habere.  
 12 Ipsius sperare potes quoque Nestoris aevum.
- P35 v.1 Ni celes crudele bonum, et quot vixeris annos ;  
 2 invidiam moveas Fatorum extrema timenti  
 3 Henrico Moscho. Juvenis miserere Suevi  
 4 ille satis nunquam vivit. Formidine semper  
 5 pallet, et implorat filum productius aevi.  
 6 Ut metuit ! Citius ne praeripiatur in Orcum.  
 7 Idcirco Podagram totis complexibus optat,  
 8 ceu pignus certum longae, et retinacula, vitae.  
 9 Quot pascit medicos ? Quot non medicamina poscit ?  
 10 Quot bibit euripos, aliquid potare paratus  
 11 quod narrare pudet. Et fel glutire cameli.  
 12 Hellebori pondo, quantum praescribat aliptes  
 13 quilibet, aut etiam fuligine Cingarus ater :  
 14 si modo lethalem queat intervertere raptum.  
 15 Tu degis multo felicior. Haud opus istis  
 16 curarum nugis ; videas cornicis ut annos.  
 17 Nam properam tardas uno cataplasmate mortem.  
 18 Effugis hanc, (nova res ! ) quoniam fuga, si peteret te,  
 19 interclusa foret. Lucraris gaudia vitae,  
 20 dum perdis. Mirum tibi concessum est paradoxon  
 21 a Divis. Quantas potes, o, age, Murcia, grates.  
 22 Quin prae laetitia fles, ac lacrimabile rides ?
- P36 v.1 O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris  
 2 Lemnius armatas aestates, tempore bruma :  
 3 et conjurati veniunt ad crura pyropi.  
 4 Terra tibi et Pontus, tibi militat ignis et Aether.  
 5 Omnia ad imperium nutumque elementa ministrant.  
 6 Terra pedes gremio fovet, inservatque sedenti,  
 7 Nereus in dulces lacrimas tua lumina solvit.  
 8 Mitius ut caleas, ardorem temperat aer.  
 9 Suavius ut doleas, Sol igneus excoquit uvas.
- P37 v.1 Sed doleo. Quid tum ? Volo te gaudere severa  
 2 conditione viri. Laetantur passere capto ;  
 3 atque iterum plorant, laqueos rumpente, puelli :  
 4 non ita procurvum post tergum lustra Senator

5 projiciens duodena. Aliud sapientia suadet.  
 6 Dic, doleo : sed et hoc. Possum insultare dolori.  
 7 Rideo, quantumvis aspersus rore marino.

- P38 v.1 Ludicra vita Hominis Comoedia dicitur esse.  
 2 (Seria quin potius. Scenae testantur Iobi.)  
 3 Quam tibi personam dederit Deus auctor agendam,  
 4 ipse vides ; non nolle pati, virtutis amore.  
 5 Si Podagram tolerare potes ; feliciter actum est.  
 6 Dignus eris palma, dignus septempllice plausu.  
 7 Praeterea dum salsus acor desaevit in artus :  
 8 gratior est cessans ; certa intervalla capessis.  
 9 Respirare datur. (Nec Sallius ipse negabit.)  
 10 Nil sapit assuetum. Jactatus Pleiade multa  
 11 in ponto, litus mercator et otia laudat  
 12 valdius, atque horret scopulos, et monstra marina,  
 13 expertos delectat enim mutatio rerum.
- P39 v.1 Cur igitur tanto quidam bacchantur hiatu,  
 2 incessuntque Deum ? Quoties scalpente Podagra,  
 3 illapsus genuum tumor internodia vexat.  
 4 Vicino indignor Garilo vineta colenti.  
 5 Vix calor insinuat se primus, et emicat Eos,  
 6 scintillatque dolor nervorum intercute morsu :  
 7 tollit clamorem, quantum non confraga reddunt  
 8 nimbo percussa Noto, tactusque Caphareus  
 9 fulminibus. Primo quoque Paulus Dorpius oestro  
 10 percitus insanit. Ciet ore tonitrua fisso :  
 11 perque supinatas tralucent fulgura nares.  
 12 Stuffo feras ululans imitatur nubilus omnes.  
 13 Ut setis hirsutus aper stridetque, furitque.  
 14 Quandoque auditur barrire. Ante omnia vulpis  
 15 gannitus, gemitusque, Chaos miserabile miscent.
- P40 v.1 Parcius ista viris. Aliquid concedimus ultro.  
 2 Non ego te totum jubeam obmutescere : nec sic,  
 3 ut truncum exanimem, sine motu et voce jacere.  
 4 Strangulat inclusus dolor, atque exaestuat intus.  
 5 Cum titillat apex Podagrae, da signa dolentis,  
 6 suspira. Tantum feriat ne sidera clamor :  
 7 verbaque confundas summum laedentia Numen.  
 8 Ringere. Quis prohibet ? Tamen hoc et simia rugis  
 9 iracunda facit. Porrectam contrahe frontem.  
 10 Os modice inspica. Si quae peregrina notasti,  
 11 Gallica, mordendo labrum, proverbia funde.  
 12 Aut ex Cocaio strictim Macaronica misce :  
 13 hoc liceat : fit fas. Hic sancte barbarus esto.  
 14 Turpius invades famulos, incendia pleno  
 15 ore vomens, et verba minax de turbine sacra.  
 16 Praemordet Soffron digitos, caelumque lacessit.  
 17 Mox tonat, uxori digna atque indigna precatus.  
 18 Scamna, trabes, crepidaeque volant, ac fragmina testae.  
 19 Diffugiunt servi pallentes morte futura :  
 20 et nati ac natae trepida cum matre recedunt.  
 21 Praefectura domus Sicula non mitior aula.

- P41 v.1 Quid vero Salli : num rides propterea tu ?  
 2 Quod querulo motu, variis quod gestibus edat  
 3 signa sui maerens Federicus Gambara morbi  
 4 imprudenter enim. Quia jus habet ; et cruciatum,  
 5 quomodocumque potest, fallit. Jamque arduus hinnit,  
 6 cum dolor assultat. Quid equo generosius ? Idem  
 7 ingemit, ut turtur, quid turture castius ? Idem  
 8 psallit, et in teneros accentus guttura flectit.  
 9 (Mollis enim semper duro praestare videtur.)  
 10 Nonnumquam mugitum edit, quem taurus ad aras :  
 11 corpore quum verso malefida securis aberrat.  
 12 Quid bove splendidius nitido ? Quid opimius albo ?  
 13 Audivi saepe ut Libycum rugire leonem.  
 14 Quae fera Marmaricum superabit bellua regem ?  
 15 Gintrio sicut apum puer ictus acumine, foedum  
 16 ploraret, tanti est, adamantem in pectore ferre !
- P42 v.1 Carolus Austriades, cui Quinti nomen adhaesit,  
 2 hoc morbo famosus erat. Quid fortius illo ?  
 3 Quippe per aeratas acies, et fulmina belli,  
 4 Asture vectus equo, fulmen fuit ipse secundum ;  
 5 intonare Joves : tormenta curulia plenam  
 6 laxabant alvum. "Nihil hoc", ait, "igne movemur :  
 7 si recte memini, non sulphure tangitur isto  
 8 Caesar" ; et irrisit conflati tela Tonantis.  
 9 Uno eodemque jugo Podagra et Victoria sedit.  
 10 Atqui, cum fureret calor, arcanosque recessus  
 11 carperet ignis edax, pro majestate dolentis  
 12 subrisit tetricum, modice tamen, ut pluvius sol :  
 13 (vel satus Alcmena stans ad plantaria Lernaee.)  
 14 Et modulata trahens suspiria, continuit se.  
 15 Harpocrati talem praeponam, et Sigalioni,  
 16 Hoc demum est fortem esse virum, dignumque Philippo  
 17 patre, et Avo Magno : quem celsa et acuta Tyrolis  
 18 venantem coluit, portantemque Herculis arcus.  
 19 Nomen adhuc damis suspectum, ursisque tremendum  
 20 Gintrio mome pedes regali subjice plantae.  
 21 Carolus opdagricus, post Hassum et Saxona, Lunae  
 22 cornua confringens, Solymannum reppulit hostem :  
 23 et Tunetanos stravit formidine fastus.
- P43 v.1 Jamne notas : aliqui quod sint ex traduce morbi,  
 2 si premimur Fato : Fatum Deus ipse creavit.  
 3 Quod vult, hoc Fatum est. Sunt caetera, opinio vulgi  
 4 si pateris Podagram ; credas tibi ab aethere missam.  
 5 Mollibus e cathedris quidquid dictatur, omitte.  
 6 Ad notam te verte Stoam. Cum saeviet ardor  
 7 in corpus penetrans, collo suppone Cleanthen.  
 8 Pectore Zenonem, magnumque foveto Cebetem.  
 9 Sub pulvinari Senecam Thraseamque reconde.  
 10 Pes incumbat Epicteto. Medicus tibi sit Phryx.  
 11 Si dolor exprimeret voces minus auribus aequis  
 12 dignas ; et turpi spumaret lingua saliva :  
 13 Speusippum objicias ori, duosque lupatos,  
 14 Pythagoraeque seram : ne vox indigna, loquenti

15 excidat, et clarae macules encomia fama.  
 16 Siquid habere cupis praesentius, accipe summam.  
 17 Deme malo larvam ; monstrumque videbis inane.  
 18 Offert vincendus sese dolor in pede laeso,  
 19 nil aliud, terrens animam mollem atque pusillam.  
 20 Plorabasne puer viridis, vel crudior infans,  
 21 figere quod terra vestigia certa nequires ?  
 22 Cur igitur frendes jam bis puer, et lacrimaris,  
 23 hac aetate senex ; nequeas quod fortius ire,  
 24 et grandire gradum ? Tanti haec Plautina videntur ?  
 25 Quid quereris ? Cupias nimirum currere. Numquid  
 26 stare potes. Quin immo jacere, sedere supersunt.  
 27 Commodus alteruter situs est. Laudatur uterque,  
 28 Virtus, est hominis sapientis vera statura.  
 29 Siquid sinceræ recubans virtutis habes, stas,  
 30 hac vel mole jacens tecum, laetare, jacebunt  
 31 et vitia ; ambitio, luxus, furor, ira, cupido :  
 32 atque libidinibus tandem modus  
 33 amphora  
 34 multaque praeterea vitiorum alimenta residunt,  
 35 quae prius in collo tumidoque in ventre natabant.  
 36 Contra virtutum caelestia germina florent :  
 37 temperies animi, morum castissima libra,  
 38 contemptus vitae : suspiria ad aetheris ignes.

P44 v.1 Sunt alia ornatum quoque non referentia parvum.  
 2 Non omnes Podagrae beat ambitiosa facultas.  
 3 Magnorum hic morbus tantum est plerumque virorum.  
 4 Aeacidæ animos et ahenea pectora poscit.  
 5 Aut nunquam, aut raro teneros dignabitur artus  
 6 imbellis sexus. Nisi quaedam forsā Amazon  
 7 sub galea lateat, gestans arcumque columque  
 8 Androgyna. Et remos inter crassosque rudentes,  
 9 (cum didicit foetere pudor) poetoque marinos  
 10 femina cruda mares, vitiisque virilibus aequet ;  
 11 si non anteeat, transcendens carbasa mali.  
 12 Qualis erat Petri Melli Cornelia. Cui non  
 13 nota fuit stabulo ? Dicta hinc Cornelia fertur :  
 14 quod non pauca viro formarit cornua lusco.  
 15 Aut qualis Batti conjux famosior Ulmae.  
 16 Illa suum superans sexum, robusta ferocem  
 17 Andromacham exhibuit. Suram fodicante Podagra,  
 18 totos uno haustu poterat vacuare culullos.  
 19 Macta animi mulier. Sic itur ad astra deorsum.  
 20 Sanguinis Alsatici Colmaria nutriit unam,  
 21 Eva vocabatur, conjux cauponis Adami :  
 22 (cui figulum tradit genitorem fama fuisse.)  
 23 Haec superare viros potando credita posse,  
 24 hospitibus coram certavit amystide crebra :  
 25 quomodo districto bellatur acinace Turca.  
 26 Hoc commendabat se solo Penthesileam :  
 27 mascula, ceu quondam Sappho : sed caetera mollis.  
 28 Tandem incurva, tremens, solaque libidine fortis,  
 29 contraxit tumidos animosa Podagrica nodas.  
 30 Perrexit potare tamen : contraque maritum  
 31 in mediis invicta malis, callosaque vixit :  
 32 et super has noxas, damnosis dedita pomis,

- 33 pondere malorum nequirit vinci Eva secunda.  
 34 Tu quid Terra facis ? Dormisne ignava Cybelle ?  
 35 Cur te non aperis rimis immanibus hiscens ?  
 36 An non et talis nova Drachomira reclusi  
 37 absorbenda fuit medio cratere barathri ?  
 38 Quas ego ! sed laudem potius meruisse videtur.  
 39 Sit fas deliciis sentire suos cruciatus.  
 40 Nulla diu, quamvis praestans, sibi femina constat.  
 41 Ut fugiat Podagrae tophos, et tormina ventris,  
 42 Claelia delicias minuit : sed Epenthesi addit.
- P45 v.1 Hinc videas Livorne : viris ut vitifer Euan  
 2 conveniens multo magis est, culpaque minoris :  
 3 sic et vite satum gemmante decentius illos  
 4 amplecti morbum. Non est tumor iste pudori.  
 5 Martius est, quaeritque viros, uritque decore.  
 6 Accedo propius. Scis, ardua stemmata, quanti,  
 7 plenaque imaginibus fumosis atria fiant.  
 8 Namque hinc nobilitas generis splendescit aviti.  
 9 Exsulta felix dominorum Murcia morbo,  
 10 inclyte : plebei non es tu pulveris olla.  
 11 Ex Samia argilla genitrix formosa creavit,  
 12 lucentem phialam, dignam a Ganymede reponi.  
 13 Nempe aliquid toleras, quod non cadit in centonem ;  
 14 non in Seifridum vili cum plebe sedentem.  
 15 Hos vexat jejuna fames, aut pallida febris.  
 16 Sed quod tu pateris, triplo jactantius intus  
 17 magnificam exercet rabiem, spiratque tetrarchas.
- P46 v.1 Velleris aurati numero serieque superbos  
 2 Hic Equites contingit honor : quod non, nisi summis  
 3 detur, et eximiis heroibus aurea torques ;  
 4 restituenda, simul mors ad connexa levavit.  
 5 Purpurei proceres gestant, et regia colla ;  
 6 quosque duces armis Mars et Bellona probarunt.  
 7 Si tibi, quos Podagra vinctos tulit, aureus index,  
 8 totque virum series et nomina clara darentur :  
 9 quantis Caesaribus, quibus accensebere Divis !  
 10 At non et tali dicetur Gintrio dignus  
 11 ordine, sutorum nigra contentus aluta.  
 12 Inter capripedes summus numeretur et hircos.  
 13 Inter sartores, quorum est altissimus ordo,  
 14 scribatur subtilis acus, majorque videri  
 15 fibula. Desperet gemmis ornatus et auro  
 16 Balthus, aut cassis bello clarissima dici.  
 17 Rectius ad Podagram decora haec referentur acutam.
- P47 v.1 Cosmus in exemplum est : sua quem Florentia tantum  
 2 extulit, ut Gentis Medicaeae conditor esset.  
 3 Ille ducis magni prima et sublimis origo  
 4 extitit, et Tuscas moderando flexit habenas.  
 5 Tota potestati famulans Etruria cessit.  
 6 Cum privatus adhuc Populares degeret inter :  
 7 sacra Senatorum, digito monstratus, adibat.  
 8 In summum sublatus ebur, titulosque micantes,

- 9 quamvis opdagricus, tanto sublimior ivit :  
 10 non tumido fastu, sed par virtutibus Aulæ.  
 11 Publica tractabat, privata fronte retenta.  
 12 Mens excelsa fuit : regemque in cive notasses,  
 13 ex dictis factisque simul, componere cives.  
 14 Exarmare nefas, fas comere legibus æquis :  
 15 Pacem ornare manu, gladiis avertere bella :  
 16 concilium sancire Patrum, decernere jura :  
 17 prodigium fuerat florenti Cosmus in urbe.  
 18 Dent similem bona crura ducem ; dent fortia rectum,  
 19 non est in pedibus Prudentia, sed capite alto.
- P48 v.1 Si Germana negat, dicet Romana vetustas.  
 2 Turba procax Podagrae trabeatae, illuserat olim,  
 3 Caesar justitiæ meritus nomenque Severi :  
 4 discite, num populis, inquit, caput imperet, an pes :  
 5 suspendique reos, corvorum pabula, jussit.  
 6 Tu quoque mi Salli (sis gente Silesius ; esto.)  
 7 qui in Podagrae socios saevis, et crimina jactas,  
 8 (nescio quæe.) Dignusque fores majore Sivero.
- P49 v.1 Ut Bajazethen taceam : (namque impius ille  
 2 barbara narratur strinxisse Podagricus arma ;  
 3 sanguinea spargens pluvia galeam atque tiaram.)  
 4 Antoni Laevæ summi ducis horrida bella,  
 5 rorantesque rubra Gallorum strage triumphos,  
 6 Mars ad turrigeram fertur stupuisse Paviam.  
 7 Nequidquam ingrediens, digitos vix ponere campo  
 8 primores poterat. Simul est ad ephippia ductus,  
 9 et conscendit equum : ceu torrens flammeus hosti  
 10 incidit, et secuit diverso limite turmas,  
 11 huc obversus et huc, truncis post terga relictis.  
 12 Agnitus a quodam Mussardi nomen habente :  
 13 Unde venis ? Quaerit, Remulo jactantior ipso :  
 14 multa quoque irridens, qui sese auderet in armis  
 15 ostentare virum, claudusque occurrere rectis,  
 16 atqui ego te lecto, mi Laeva, cubare putabam.  
 17 Sensit sarcasum petulantem Antonius, et sic :  
 18 "Congredere, ut videas hostem vigilare ferocem.  
 19 Invideo tantum, quod me prior ipse vocaris."  
 20 Haec fatus, rapidoque effundens frena caballo,  
 21 invectus medium tota transverberat hasta.  
 22 I Remule, et verbis Podagram delude superbis.  
 23 Tandem et Laeva cadis, sed tot circumdatus umbris  
 24 a te praemissis ; quot habebat crista refulgens  
 25 casside fusa comas ; capitis pars summa capillos.  
 26 Omnis te late planxit Tartessia tellus.  
 27 Te Tagus undanti deflevit turbidus auro :  
 28 et Podagra in dumis habitans (quia morbus acutus)  
 29 indoluit : summoque ulularunt vertice Nymphae.  
 30 Te mea Musa canit, nulloque taceberis aevo.
- P50 v.1 His adeo monitis, atque haec exempla secutus  
 2 laudatam speciem morbi excellentis honora,  
 3 teque simul : ne degeneres a sanguine regum.



4 Noscis : Corneadi quid dixerit Agesilaus,  
 5 Rex Siculus ? Men ergo fugis ? (fugiebat : amicum  
 6 cernere quod nollet, nec posset ferre dolentem.)  
 7 Huc propius succede toro. Nil pertinet ad te  
 8 hujus tormenti, quod nostro in corpore saevit.  
 9 O animum, et nulli Fato tractabile pectus !

P51 v.1 Denique ut impatiens inclusas pectore Diras  
 2 funditus eructes ; ut dentem dente fatiges ;  
 3 ac rabido vultu terras, mare, sidera clames ;  
 4 nil peragis. Surdos caedunt convicia postes ;  
 5 majoremque creas circumstantibus aegrum  
 6 materiam risus. Cui pulmo immobilis, aut splen ?  
 7 Sallius, ut nequam est, motique lienis abundans,  
 8 concitus ingentes patulo vomit ore cachinnos,  
 9 non semper lamenta juvant. Submergitur alto  
 10 navis ; ubi lacrimas venti, pia votaue, difflant.  
 11 Quid juvit Cererem fremitus, cum filia rapta est ?  
 12 Risit praedo gener ; raptuque potitus Avernum  
 13 laetior intravit, ficumque ostendit ovanem.  
 14 Rectius illa Jovem blandis accedere verbis  
 15 debuerat. Sed sera fuit reverentia Patris.  
 16 Damnatum Fatis jam triste Proserpina malum  
 17 carpserrat ex horto, praecoxque momorderat ore.

P52 v.1 Est ratio ulterior, si spes micat ulla juvandi :  
 2 dummodo des vacuas aures. Expende : quid olim  
 3 sustineant alii, quos non patiantur agones !  
 4 Damna malum majora minus collata lenabunt.  
 5 Hujus turbo caput ferit, infestatque procellis,  
 6 ceu prester sine lege furens, hunc calculus urit  
 7 asper, ut exclamet, felicem Sisyphon esse.  
 8 Num Sphacelus melior, num Volvulus, aut nephritis :  
 9 quaeque latus fodicant fixae pleuritidos hastae ?  
 10 Hunc veri vermes rodunt : totam iste Medusam  
 11 sustinet, et miseram trahit aegro corpore vitam ;  
 12 quantilla tu parte tui, membroque laboras !  
 13 Quid faceres pressus te suffocante catarrho !  
 14 Non posses tua damna queri, nondum Oedipus audis,  
 15 perque pedes Hector trajectus lora tumentes.  
 16 Adde : quod ex cunctis vix morbus honestior ullus.  
 17 Mitior haud febris, quamvis quartana vocetur,  
 18 ne dum foeda lues et Gallica : quam Veneris pus  
 19 turpibus inducit crustis, et eroticus horror  
 20 armavit scabie : forsan tibi, Gintrio, nota.

P53 v.1 Quid tandem Podagra est ? Ut dixi, demere larvam  
 2 addecet : "Est morbus scite contraria miscens :  
 3 saevities facilis, senique ignavia dulcis :  
 4 imperiosa quies, innoxia flamma, severum  
 5 connubium, mansueta lues, comoedia lecte,  
 6 fabulaque in soccis sermone excepta pedestri.  
 7 Ridiculusque dolor : tranquilla molestia sellae :  
 8 anchora longaevae, seu spes, certissima vitae."  
 9 Credite vel medicis, quid sit. Non fallit Apollo.

- 10 Cum lapidescit hepar, vel debilitate caducas  
 11 amittit vires submissa alimenta coquendi :  
 12 crudus adhuc sanguis, salsaque aspergine rorans  
 13 venarum per cola meat ; sursumque relatus  
 14 fumat, et ad partes paulatim decidit immas.  
 15 Pondere nativo vergens, ceu lacrima Myrrhae.  
 16 Tum vero humanum genus exercetque, probatque  
 17 virtutem. Ut fulvum spectatur in ignibus aurum :  
 18 mystica scit Podagrae fornax purgare metalla.  
 19 Emicat e mediis victrix patientia flammis,  
 20 haud aliter, quam si Phoenix sua cinnama rumpat.
- P54 v.1 Quare age, si quid agis, paterisve, (et causa patescit  
 2 vulneris aut alias nobis edissere causas.)  
 3 Quam primum sentitur acus, nervumque lacescit :  
 4 esto hilaris, vultusque fremens ostende serenos :  
 5 regnet et argutis jucunda facetia dictis.  
 6 Silvius Aeneas, cum jam Pius esset, et almae  
 7 impositus sedi, sanctus Pater Urbis et Orbis ;  
 8 virtuti studuit. Quoties arthriticus humor  
 9 mordebat digitos facili sermone jocatus,  
 10 astrologos, sine more, pedes sed dixit habere,  
 11 consimilesque manus (audis oracula Romae  
 12 indicio quorum confinia disceret aequae  
 13 noctis ; et argentem pariter discedere solem.  
 14 Hoc est Pontificis. Sic intonat ardua virtus ?  
 15 Ille idem gelidas legatus Teutonis oras  
 16 perlustrans, fertur, morbo stimulante, disertus  
 17 continuasse duas verbis pollentibus horas.
- P55 v.1 Hunc, sodes, imitare, et amica mathemata disce ?  
 2 Quandoquidem grata studiis te clausit in umbra  
 3 opportuna quies, faciendis apta Calendis.  
 4 In Sphaera percurrere Polos : dispone coluros :  
 5 observa motus, astrorumque inspicere fibras,  
 6 extaque, et arcanas vires. Exquire planetas :  
 7 sic fiunt Fasti, stultae ludibria plebis.  
 8 Pone nives, pluvias, casuraque fulmina pelvi.  
 9 Pone dies festos : etiam Podagraeque, tibi que.  
 10 In primis cum findit agros canis aestifer : et cum  
 11 prodigus inversam declinat Aquarius urnam.  
 12 "Hic Rhodus, hic saltus". Redeunt tua sacra quotannis ;  
 13 ludi sollemnes : nec non mustacea Morbi.  
 14 Stringere frigentem tunc falx Saturnia suram  
 15 et crispare solet. Tunc Martem tibia sentit.  
 16 Concussisque micant inclusa Ceraunia plantis.
- P56 v.1 Quo magis aegrescit Garnerius Astrubal, hoc et  
 2 altius in propriae descendit viscera cellae :  
 3 et serpentinis exhaurit faucibus obbam :  
 4 huc ades, ingeminans, mea vipera. (Vipera quaedam  
 5 clauditur et vitris) ego te mactabo Falernis  
 6 vitibus. Ad lumphas adiget non ipse Machaon.  
 7 Malo dolere miser, quam siccus lambere vappam.  
 8 Credes ? Hic aeger fit vino et sanus eodem.

- 9 Vincitur a semet Bacchus ; a semet Iacchus,  
10 usque adeo et Podagram juvat immansueta voluptas.
- P57 v.1 Laetior Archintus vocat illam dulce suum cor,  
2 basiolumque suum : (tanti est, phantasmata posset  
3 corrigere ! ) et quidquid Cephalus fuit ausus in aura,  
4 pellice, Procri, tua ; mortis tibi causa futura.  
5 O quoties madidis affixa lagena labellis  
6 haeret, ut ex illa Lenaeum sugat honorem !  
7 O quoties dicit : doleat pes, portio vilis :  
8 dummodo non venter, meaque intestina laborent.
- P58 v.1 Aspice Richardum, nihil est jucundius illo.  
2 Nam quoties invadit acor, vepretaque prima  
3 nervus odoratur, jam jamque incalfacit ignis ;  
4 erigitur, Thymelenque suam jubet ipse venire.  
5 Ergo fuscum hilaris, fabellas narrat ab omni  
6 Nasone excerptas. Quidquid lepidi pedis usquam est.  
7 Seu ficti, versique, refert. Ut aranea longos  
8 pro geminis brevibus mutata acceperit octo.  
9 Aesacus ut Priami gnatus longissima crura  
10 in mergum conversus avem : longissima magno  
11 Laomedonte sata Antigone. Ut sua brachia supplex,  
12 ante Jovem et maestum Patrem demiserit Io,  
13 officio functura pedum, modo facta juvenca.  
14 Cantatur Dryope subita radice retenta,  
15 quo minus aufugeret. Pedibus cantatur equinis  
16 Oxyrhoe Virgo campos peragrasse virentes.  
17 Quin et io Phaethusa, io Phaethusa tuarum  
18 una soror, Phaethon : quae dum tua funera luget,  
19 nescio, quo fato, planta torpente ligatur.  
20 Ter conata gradum moliri, stirpitis haesit.  
21 Nunc quoque flens ramis electra liquentia sudat.  
22 Narrat et anguipedes spatio super astra Gigantes  
23 Pelion , et fractis jaculatos rupibus Ossam.  
24 Nec te, Batte, silet : cui pes, cum currere velles,  
25 in saxum obriguit : nec te pulcherrima quondam  
26 Callisto, manibus curvis prona ire coacta.
- P59 v.1 Quem non tam laeti stimulent, Livorne furores ?  
2 Est aliquid, medios inter cantare dolores !  
3 An plus, si medios inter cantaret olores !  
4 Interea quid agis ? Respondes : "Otior". Hoc est,  
5 quod magis excruciat. Quid si te in docta referres  
6 otia Richardi. Multos juvat ista cupido.  
7 Carmina tunc currunt velocia, cum nequit ipse  
8 currere per campos, Podagra tardante, poeta.  
9 Pro pede corporeo laeso, pes Delphicus intrat  
10 passibus ambiguus, et chartam versibus implet.  
11 Compensatur enim vitium virtute secunda.  
12 His certe auspiciis, hac Montmorencius arte  
13 noster composuit, quamvis decumberet, hymnos  
14 caelestes : Urbane tuis Octave dicatos  
15 clavibus, et magnae meritos praeconia Romae.  
16 (Nos quoque, siquando flagrat. Vis caetera ? Suffla.

17 Imminet arcanis nimirum Gintrio nostris.  
 18 Immineat potius purgandis ille caminis :  
 19 obscuri quisquis latet hac sub nominis umbra.)  
 20 Saepius hunc versum, bis, terve, iterare memento ;  
 21 una salus vincit, nullam sperare salutem.  
 22 Utque omni nequeas forsitan consistere versu :  
 23 saltem tardipedem Scazontem imitabere nostrum.  
 24 Claudicat ingenuae, perque intervalla decore.  
 25 Illum etiam credas Podagra titubare molesta.  
 26 Ut salit, extremumque pedem trahit interruptum !  
 27 Nempe vacillantem Volcanum imitatur in Aetna.

P60 v.1 Crinallus placuit, Leonardus nomine, vates,  
 2 qui flammata simul Podagrae calcaria sensit,  
 3 versibus elusit Lucani, et sprevit habenas.  
 4 In calido pede morbus erat, Pharsalia in ore,  
 5 inque oculis bellum. Sic ergo farier infit.  
 6 "Foelix, qui potuit Mundi nutante ruina,  
 7 quo jaceat, jam scire loco. Caelestia semper  
 8 inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.  
 9 Pacem summa tenent. Dolor hanc non auferet ullus.  
 10 Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa  
 11 quaerendae sibi mortis habet. Quaeramus in umbra.  
 12 Scire mori, fors prima viris, sed proxima cogi,  
 13 par animi laus est : et quos speraveris annos,  
 14 perdere ; et extremae momentum abrumpere lucis.  
 15 Me Podagra affligis ? Nescis crudelis, ubi ipsa  
 16 viscera sunt animi. Properas, atque ingeris ictus.  
 17 Qua votum est victo. Quam dant mihi Numina mortem,  
 18 accipiam : licet ingentes abruperit actus  
 19 festinata dies tabesne cadavera solvat,  
 20 an rogos, haud refert. Placido natura receptat  
 21 cuncta sinu : finemque sui sibi corpora debent.  
 22 O morbus felix ! O vitae tuta facultas  
 23 pauperis, angustique Lares. O munera necdum  
 24 intellecta Deum. Cupias, quodcumque necesse est.  
 25 Crescit in adversis virtus. Plus nobilis irae  
 26 hic jam truncus habet. Serpens, sitis, ardor arenae  
 27 dulcia virtuti. Gaudet patientia duris."  
 28 Dixit, et ardentem permulsit palmite vultum.  
 29 Commendemus epos. Magni sunt carmina vatis,  
 30 (atque utinam semper sani.) Super aethera tollo  
 31 Crinalli lusum. Vix risum Mursa tenebat :  
 32 Mursa leporis amans, et sannio naribus uncis.  
 33 Ast ego demirans, caneret dum tanta, videbar  
 34 Syrtibus in mediis resonantem audire Catonem.  
 35 Unde tamen : vos oro novem Lebethrides, unde  
 36 dicite, Lucano vis haec infusa levandi  
 37 Crinalli Podagram cantu ? Furor, ane libido est ?  
 38 An quia, dum cecinit, studio minvente dolorem,  
 39 non observatum tempus, morbumque fefellit ?  
 40 An vis major inest vati, quam cognita vulgo ?  
 41 An, quando redolens baccas oleumque Minervae,  
 42 sparsa sono linguae tetigit sententia plagam ;  
 43 plaga stupet : veterisque mali obliviscitur aeger ?  
 44 An mens obruitur, consopiturque canendo :  
 45 obruta consopit secum quoque carmine sensus ?

46 Quomodo stant fluvii, Luna incantata laborat ;  
 47 attonitis Sol haeret equis, et sidera pallent :  
 48 corpora procumbunt viva, ac si functa rigerent.  
 49 Quidquid id est ; homines subigit violenta Poesis.

P61 v.1 Ennius ipse Pater nunquam nisi potus ad arma  
 2 prosiliens dicenda ; simul Podagraque meroque  
 3 acriter incaluit : fecundum in carmina pectus  
 4 concutiens, Oscos fudit claudo pede versus.  
 5 O utinam et Podagram laudasset versibus Oscis,  
 6 talia dicturus. "Magna est pollentia flammae  
 7 scaeva Podagra tuae ; quam Cascus sentio vates.  
 8 Quem semel adgretta es, non evasisse potestur.  
 9 Pes torporatus taxim subsidit, ineptus  
 10 ad quodvis itiner, plantam mordente gemursa.  
 11 Sed cum flatores sonuerunt, et meus arma  
 12 Scipio concrepuit, claros Dux inter homones.  
 13 Ambactus fecit nomen cui maximum Afer :  
 14 Continuo sumpsi magmentum, atque oxymus ivi,  
 15 ceu juvenans. Romae dedit impancrata Libys se :  
 16 cumque duce unose benna per castra vehebar.  
 17 Ajutant, haustam Podagram esse ex bocare nostram.  
 18 Falla'st ; et Latii futabunt probra metelli,  
 19 quos inter Primanus eram. Manalia pauca  
 20 ollic, pauca alica, et duri vix mamphula panis.  
 21 Ne dum taura, vel arna nitens, aut herbilis anser.  
 22 Rarerer bibitur. Sic fert consuetio Martis.  
 23 Nec tamen arduus eram, gnixus duce belligerante :  
 24 Punica quem clivem dignoravere tropoea.  
 25 Calpar ibi rubrum simul exanclare licebat :  
 26 Scipiade in laudes plera axamenta faculter  
 27 fudi de cretere. Gruebat spiritus in me.  
 28 Nil quactum in versu, sartum, nil querquerum esto.  
 29 Proinde, o vos juvenes, cascum sardate poetam,  
 30 fama celebrescens, laciatur : quam gnarigat omnis  
 31 Parnassus. Bliteam nolite putare Podagram.  
 32 Prodest, et carmen celerissimum efficit : allos  
 33 quantumvis retinente cuba, suramque catacem.  
 34 Volta hilara in spectu vestro, non cossa requiro.  
 35 Demage quisque dolet, qui Fatis toppe obedit.  
 36 Si non es blennus, quae munico suscipe dicta.  
 37 Utere cautim ollis : Ennique miniscere Quinti.  
 38 Jam sospes valeas : donec nex insipet Umbris."

P62 v.1 De nostris audire cupis, Burgharde disertis.  
 2 (Te Momum appello coopertum bardocucullo)  
 3 unum pro multis dabitur caput. Elige : centum  
 4 praeter enim missis, Campanas vector in oras.  
 5 Quid scriptis, Aquilane, tuis praeclarius umquam  
 6 vidit Parthenope, vapidi prope saxa Vesevi.  
 7 Hunc licet opdagricum, et salso paedore fluentem,  
 8 exurente pedes, vix ulla scientia fugit.  
 9 Scilicet instructum divina Pallade pectus,  
 10 omnibus et Musis, cunctas comprehenderit artes.  
 11 Seu velles radio caeli describere gyros ;  
 12 seu guttas numerare maris ; seu pondera terrae,

- 13       immensum librare globum : secreta sciebat.  
 14       Non altus stando : modicus sed multa sedendo  
 15       implevit resonans, illustravitque Lycea.  
 16       Ceum nigra facundi Delphorum Numinis olla,  
 17       a multis consultus erat : responsa dabantur  
 18       ex adytis. Sacros laxabat janua postes.  
 19       Publicus accessus. Podagrae domus omnis, aperta  
 20       Curia, adorata est : quoties Aquilanus agebat  
 21       sese ostentantem morbum, genua aegra trahendo,  
 22       Bartholus et Baldus, Cicero, Varroque, Maroque  
 23       cum Senecis uno permiscebantur in ore.  
 24       Quid ? quod emebatur pretio, vel posse videri.  
 25       Audiri excessit pretium. Fuit ille beatus,  
 26       quem dignabatur Romano aspergere rore,  
 27       sint stupidi fatuique pedes : modo lingua diserta  
 28       non stupeat ; rigoque fluat facundia lapsu.  
 29       Quin tu, si calles, etiam testudine ludis ?
- P63       v.1       Harphius aegrotans hanc pertentare solebat.  
           2       Ignifluos quando stimulos crebrescere sensit ;  
           3       imminuit, paeana canens. Excivit hic Orpheus  
           4       et lapides. Nam dum fidibus contendere pergit ;  
           5       nescio quo fato, sese vesica resolvit :  
           6       atque una tortus lapis est egressus, arenam  
           7       secum a sede trahens, renesque dolore levavit.  
           8       Tanti est, et facilem, laetumque ac sortis acerbae  
           9       contemptorem animum duris ostendere rebus.
- P64       v.1       Nec tu mireris, Phoebi quod suadeo Cyrrham  
           2       Opdagricis. Quippe his fulget nitidissima mentis  
           3       fax et temperies : et amoena licentia molles  
           4       tractandi nugas ; capitisque innube serenum :  
           5       vivacesque oculi, stellarumque integer usus,  
           6       si causam quaeris : vapor omnis sidit ad imma :  
           7       ne jubar ingenii obfuscet. Lux fusa superne  
           8       fulgurat, et raras patitur crassescere nubes.
- P65       v.1       Nulla igitur pulset maerentem causa querelae :  
           2       quod nequeas pedibus, nequeas contendere cursu.  
           3       Optima pars hominis cerebrum, virtusque loquendi.  
           4       Si viget et floret ; quid curas deteriores ?  
           5       Caecus et invalidus, nec non incurvus Homerus,  
           6       non multas, credo, peragrans transmiserit urbes :  
           7       at pro cive suo, cujus sit gloria vatum,  
           8       septem urbes certant, Libycus non ambulat Hammon.  
           9       Orbe tamen toto cornuta oracula sparsit.  
          10       Sic aliquem in lecto recubantem Caesar adibit  
          11       tanquam cortinam, aut Tripodem. Lecestrio gaude,  
          12       te, quoniam baculo (tantum non Scipio factus)  
          13       uteris, esse negas bipedem : pensante Podagra,  
          14       esse tripus poteris, nihil est tibi nuper ademptum,  
          15       plures, ecce, pedes Phoebus dedit : insuper aevi  
          16       divinare statum, momentaque scire futuri.
- P66       v.1       Quis det, ut in pleno consulta Podagra Senatu

2 regnet, et hunc nemo reliquis nisi concolor intret ?  
 3 Pluris consilium faciam sublime jacentis  
 4 toto anno ; tota quam discurrentis in urbe,  
 5 omnibus aut campis, per et alta et plana : "Sedendo"  
 6 inquit Aristoteles : "sapientes fimus". Eundo  
 7 nam quis non asinus fieret sapientior ipso  
 8 Socrate ? Quem constat multum pressisse sedile.  
 9 Cursores hinc inde ferunt, referuntque tabellas.  
 10 Illos tu malis inter Boeotus haberi ?  
 11 Gintrio fortassis malit Boeotus haberi.  
 12 Perpetuo currit. Quid cursu proficit umquam ?  
 13 Vix panem, quem rodat, habet.  
 14 Idcirco et Bavii trepidans sapientia friget :  
 15 (nam quando sedet argutas expensus in artes ? )  
 16 Quam tamen attollit, Thomas Eumolpus, ad ignem  
 17 excocta est, quo planta calet : quoque aestuat intus.  
 18 Baccius Achitophel alter, quamvis pede captus,  
 19 mente tamen liber Fatorum arcana recludit ;  
 20 offecisse sagax, sollers tetigisse futurum.

P67 v.1 Et dubitamus adhuc cruciatum extendere nervis ?  
 2 Quod dixi, repeto : cuperem quoque in acta referri.  
 3 Haereat auriculis fixum radicitus. Aufer  
 4 e mundo Podagram ; simul et clarissima Mundi  
 5 ingenia abstuleris. Quae si comprehendere tentet  
 6 Aequa suo numero, citius numerabit arenas  
 7 Sallius aequoreas, et in Ionio immenso  
 8 multivagos fluctus. Honor est, memorare silendo.  
 9 Plura referre mora est. Cursum contendere navis  
 10 ulterius placet. In sicco dum Gintrio mordet  
 11 infames digitos, et fracta Calumnia plorat.

P68 v.1 Nondum perveni praecordia ad intima ? Nondum  
 2 Murcia subsultas ? Consolantique talentum  
 3 assignas, quale est descriptum majus Athenis !  
 4 Officium fecisse meum vel Gintrio dicet.  
 5 Abnuis. Ut quid enim ? Non pellunt verba dolorem :  
 6 et medicus praescipsit aquam. Jam tangitur ulcus.  
 7 Es, reor, hydrophobus. Non sum de tristibus unus.  
 8 Posce merum : dabitur. Vates ego muneris auctor.  
 9 Novi, qui media in furia regale Falernum  
 10 follibus attraherent : et sic pepulere dolorem,  
 11 dic tamen, oro :  
 12 cum facilis solvat curarum vincla Lyaeus ;  
 13 vincula qui pedibus nostris inducere possit ?  
 14 O te felicem, bone Murcia ? Cum dolor urit,  
 15 uritur et tecum Bacchus : modulatur acanthis :  
 16 quique tuos numerat gemitus, et verberat aures  
 17 psittacus alloquio. Fortasse et simia ludit :  
 18 utque tuam simulet podagram, ridenda gemiscit  
 19 nitenti similis, monstratque tumentia crura.  
 20 Bellacem in tabula ludus Palamedis adornat  
 21 Stacckum : vel pictos irrident cymbala reges.  
 22 Quid deest ad vitam, nisi consummare, beatam ?  
 23 Praesertim, ut dixi, si semper cantharus aegro  
 24 invigilet, relevans mala, concilietque soporem.

25 Quid mussas Salli ? Quid Gintrio dicis ad ista ?  
 26 Dasne manus ? Jam te submittis sponte coactus.  
 27 O bene ! nemo tui curam gerit. Ultimus aedes  
 28 incolis, exosusque. At Livorno assidet uxor,  
 29 blanditur, mulcet ; solaciaque ingerit ori,  
 30 et requiem sperare jubet. Procul esse profanat  
 31 flabello muscas abigit. Te turpibus hydris  
 32 crinitum fugiunt medici, scabiemque relinquunt  
 33 intactam. Nam nescio, quid gravis afflat odoris  
 34 suspicio : quasi te malesana Neapolis urat.  
 35 O cave ! nam sulphur vomit, et quae dicere nolo.  
 36 Marcus in hemicyclo sedet, atque aegrotat honeste.  
 37 Sustinet alta quidem tormenta : sed absque pudore,  
 38 absque supercilio, quamvis hoc tollere posset  
 39 aemulus, et regum, consanguineusque dolentum.

P69 v.1 Quod si evasuro Podagram tam dira cupido est,  
 2 esse procul morbis : evades paupere mensa,  
 3 messorumque cibo : minues bellaria : crudo  
 4 pro pavone fabas, et cocta epulabere pisa.  
 5 Distendunt Junonis aves. Vitabis opima,  
 6 siccantesque cadum. Nisi dissimulare velimus,  
 7 tu morbo huic operamque locas, et tura ministras,  
 8 perna nocet, lactuca nocet, lucanica salsa,  
 9 et bulbi, fungique nocent : (non Gintrio fungus  
 10 natus in Arcadia) piperataque cuncta nocebunt.  
 11 Regula sit certa haec medicorum : cum gula plorat,  
 12 tunc facies ridere pedes. Mirabile ! Causa  
 13 diligitur. Sed cur displicet ? Odi  
 14 potantem vinum, et vini de faece querentem.

P70 v.1 Haec dico vates : nunc aurem surrige utramque.  
 2 Sacra fames, et sacra sitis, tua pharmaca sunt.  
 3 Quod referam, delectat idem et convulnerat aures,  
 4 sume animos Clio : neque enim communia dices,  
 5 aut vulgare scelus, nostrisque in montibus ortum.  
 6 Sed quod narrandum timide mirata Megaera  
 7 credat, et invidet tantum licuisse nocenti  
 8 terrigenae ; quantum liceat vix sontibus Umbris,  
 9 tantane vos, Itali, rapit inclementia laesos !  
 10 Ultra fas odii plerumque odistis, et ultra  
 11 vindictae Furiaeque modum dictantis iniqua,  
 12 Pecchius occurrens hosti, raptatur in arcem.  
 13 Correptu nebulo (nam quonam hunc nomine digner ? )  
 14 inclusit brevibus Gyaris, parvaque Seripho :  
 15 carcere, paedoris stabulo : quale aut Diomedis,  
 16 aut fuit Augiae : (locus invidiosus uterque)  
 17 Quotidie hic pastus, siliquarum mucida frusta  
 18 (dimensum) accepit, tinctamque uligine lympham  
 19 dimensumque bibit. Quo desolatus et expes  
 20 vivendi ritu, tria lustra excessit, et ultra.  
 21 Interea Domino castris (tu Majole testis : )  
 22 mors meritum telum, quamquam improvisa, minatur.  
 23 Num memor, extrema saltem moriturus in hora,  
 24 incluso veniam dedit, aut miseratus egentem est ?  
 25 Obfirmato animo, fieret ne gratia, cavit :



26 captivumque suum tetro in squalore relinuens,  
 27 immortale odium Stygias transmisit ad Umbras.  
 28 I vecors anima, et damnatas pollue sedes,  
 29 damnatas sedes Erebi noctemque profundam.  
 30 Ora cerastarum retro avertere comantum  
 31 Eumenides, vinci pudefactae, ac plurima questae  
 32 ante Jovem. Quaenam haec humano in corpore tigris !  
 33 Posthac miremur congressum Eteoclea fratri :  
 34 divisosque rogos, abruptaque funera busto ?  
 35 Saevius Astaciden an Tydeus in Menalippum  
 36 saeviit occisum, mox interiturus et ipse ?  
 37 Posteritas admitte fidem. Themis aethere ab alto  
 38 prospexit, claroque die Rhamnusia visa  
 39 gyrauit per inane rotam, flammasque volantes.  
 40 Numinis aeterni numquam mens provida dormit.  
 41 Expurgare domum, quaedam renovare Farino  
 42 incidit heredi. (Sic fors tulit.) Altus ab imo  
 43 diruitur murus, carcerque effringitur una,  
 44 et Caci spelunca patet, semesaque membra.  
 45 Pecchius exterrens, atque exsternatus, in antro  
 46 constitit obscuro ; visu miserabile monstrum.  
 47 Ceu fera silvestris, casu deprensus. At umbra  
 48 extenuata situ quoniam desueverat auras  
 49 carpere vitales ; ad primi spicula Solis  
 50 horruit ; et radios deprenso lumine fugit,  
 51 avertens oculos : soliti dum sideris usus  
 52 sub frontem sensim, lux et toleranda rediret.  
 53 Sed podagra jam liber erat ; qua pluribus annis  
 54 ante laborabat. Vitam tum deinde per omnem,  
 55 sanus, et exsultans pedibus, nullum amplius oestrum  
 56 sensit : et ut velox Asael discurrere campis,  
 57 aurigasque citos potuit superare Dianae.

P71 v.1 Nec semper tamen ista juvant. Inolevit avitum  
 2 ceu radix, aliquando malum ; plenumque parentet  
 3 trudit onus. Primae redeunt in semina caussae.  
 4 Ut si etiam expellas furcis, tamen osque recurrat.  
 5 Unde patet, Podagram non esse pigram naturam.  
 6 Nam contra hanc Flaccus furcas negat esse valentes.  
 7 Quamvis Algoivius tentaverit hanc quoque pugnam  
 8 victor ; et idcirco celebri laudatus in urbe,  
 9 vinctus Chaoniis Augusta tempora sertis.  
 10 Quid possint animi fortes, a vomere discas.

P72 v.1 Candentes adhibe lamnas, terebraque cicuta  
 2 ferrata plantas, hoc fecit Alexius olim,  
 3 qui mare, qui totam scepro Chalcedona movit :  
 4 in cujus geminas nutavit Bosphorus arces ;  
 5 cum fureret morbus, medicos exesse jubebat.  
 6 "Jam jam adsunt", dixit, "qui me et mea vulnera curent :  
 7 Brontesque Steropesque, et nudus membra Pyracmon."  
 8 Felicem ! cujus vel Cyclops pharmacopola est.  
 9 Sit medicus faber : utatur quoque forcipe, et igni.  
 10 Quid refert ? Modo te juvet, ac bene temperet aestum.

- P73 v.1 Anconitanum sisto tibi Marcellinum,  
 2 pastorale pedum portans, mittamque bicornem,  
 3 effugit Podagram ; cum tempestate coorta  
 4 Mulciber in parvam Trojam fureretque, ruensque :  
 5 in conclave, suis protruderet Ucalegontem  
 6 aedibus. Usque adeo justis et fulmina prosunt.
- P74 v.1 Quin et nonnumquam subito terrore fugatur.  
 2 Vidimus intra Urbem vallatam rupibus altis,  
 3 Pons ubi praecipiti prostans obmurmurat Oeno ;  
 4 quendam se visco pedis expediisse repente.  
 5 Dux belli plectendus erat, durante podagra ;  
 6 damnatus capitis, sed captis cruribus aeger.  
 7 Urgebat fratrem mandatix Caesaris ira.  
 8 Cum nil proficeret reus, inter tympana et hastas,  
 9 sella portatus fuit ad ferale theatrum.  
 10 Carnificis simul atque micans effulserat ensis :  
 11 exsiliit (steteruntque comae) et vestigia torsit  
 12 huc illuc gradiens, minitansque, optansque, precansque.  
 13 Sed gladio plus juris erat : legumque potestas,  
 14 quum detrectaret collum praebere sedendo ;  
 15 elatum stantis caput a cervice revulsit.  
 16 Ne solus stando moreretur Vespasianus ;  
 17 et quidam Bruti, ceu brutum, victima factus.  
 18 Agnosco divinum aliquid. Non caesa Podagra est,  
 19 Quippe insons : plectique reus non debuit, illa  
 20 donec adhaereret. Prius abscessisse decebat.  
 21 Ne morbum dominorum, et ne Dominum morborum  
 22 sordida polluerent miserae contagia cladis.  
 23 O vos Opdagrici dotes agnoscite vestras.
- P75 v.1 Calliope, siquid restat tibi desidis oti :  
 2 huc adverte fides, digitosque infringe sonantes.  
 3 Grande Vietoris claudi cantabimus ausum  
 4 Brisaci, quam nunc incingunt Lilia rupem  
 5 Francica ; collectum solitus compingere vase  
 6 Sturmius autumnum, tortisque inducere septis :  
 7 a podagra fuerat quasi diro obsessus ab Orco.  
 8 Quid faceret ? Tandem : "Semper patiemur inulti ?"  
 9 Dixit, et extendit squalentia crura, pedesque  
 10 imposuit trunco : (cur non incudibus ipsis ? )  
 11 sed tamen imposuit. Tum fustibus unxit adustis,  
 12 qua libuit, totum, tantaque mora lentavit,  
 13 ut dolor aufugeret, Podagramque hac lege fugaret.
- P76 v.1 Iste quidem immitis, nec tali compare dignus.  
 2 Ecquid enim expellas dignantem temet amate ?  
 3 Uxor erat Gauro, Flasconia nomine dicta :  
 4 et dilexit eam titulo vel nominis hujus.  
 5 Quippe meri bibulus tam rem, quam nomen amabat.  
 6 Hinc illi dulcis Flasconia semper in ore.  
 7 Nec minus illa suum Gaurum mulcere studebat.  
 8 Haec igitur conjux, acta trieteride sexta,  
 9 abruptit vitae filum : sociataque Parcis,  
 10 postquam Lethaeo manes lustraverat amni ;

- 11 Pace bona Lachesis, (fidens sollertia dextrae  
12 tanta fuit) didicit torquendi staminis artem  
13 lanificam, sacraque colu deducere Fata :  
14 emeritoque viro, Jove permittente, caducos  
15 vivere quos poterat, transcriptos texuit annos.  
16 Hinc solidae Gauro vires, et tempora longa ;  
17 fessaque canities. Tandemque Podagra, senectae  
18 appendix. Numne ingemuit ? Num lumina torsit ?  
19 Conjugis ille memor, munus caeleste, relictum  
20 et miris verisque modis, liquidisque probavit.  
21 "O mea", dicebat, "Flasconia dulcis" : (et ori  
22 oscula depangens admovit : ) "tene benignum  
23 jam credam Numen factum : quae in tempora vitam  
24 produxi tam longa meam !  
25 Dixerat, et lacrimis oculi maduere profusis.
- P77 v.1 Cur non triticeo totum te mergite mergis ?  
2 Et Cererem prius imploras, puerumque volantem  
3 anguibus, atque novae monstrantem munera stivae ?  
4 Quem quoniam agricolae pressis imitantur aratris  
5 sudantes ; vivunt absque omni labe Podagrae.  
6 Hoc quoque credamus : (cur non credamus Avito ? )  
7 ignivomos Agrippa pedes perfudit aceto.  
8 Clodius hoc Romanus eques fecisse veneno  
9 dicitur (atque pedum triste excussisse venenum)  
10 ferventi, indignum reputans cessisse calori,  
11 ingeminabat eum. Si detesteris acetum :  
12 largum infunde merum, quod fert Herlennius Ister :  
13 vicini nobis colles venale propinant.  
14 Tale nec in tota generat vindemia Cypro.  
15 In pestem Podagramque valet, fatuasque mariscas.
- P78 v.1 Si tibi venandi jus est, cinctusque Dianae :  
2 et culter silvaeque placent ; venabere cervos.  
3 Quid diademati Constantis proelia differs ?  
4 Signa notans Podagrae ; magnis clamoribus : eia.  
5 Huc venatores, acies nemoralis, adeste ;  
6 Cum Faunis Satyrisque, et cornigero Sileno.  
7 Exin tota cohors, Graiae Didonis ad unguem,  
8 retia rara, plagae, lato venabula ferro.  
9 Argolicique ruunt equites, et odora canum vis.  
10 Ille agitare feras : salsis sudoribus uri ;  
11 morborumque metum tali detergere saltu :  
12 in longum Imperium, multos servatus in annos.
- P79 v.1 Praescribo et Thermas : sed non lasciva Neronis  
2 balnea, et Euboicis late fumantia Cumis.  
3 Baianum fuge virgo lacum : fuge Salmacis undas.  
4 Enervant hae corpus aquae.  
5 Porro non tantum vetita est frenanda voluptas,  
6 sanguineumque jecur, saevam frenabis et iram,  
7 si sapis. Incensus damnosa pericula sanguis  
8 atque inopina creat. Namque hinc vesicula fellis  
9 se resupinat, et a fundo quandoque movetur.  
10 Dat Podagrae vires : madidum sal permeat artes.

- 11 Impetus augetur, pedibusque invergit acetum.  
 12 Qua porta exhibit ? Si pollicis ostia pulset ;  
 13 Janitor aegrotat miser, insanitque dolore.
- P80 v.1 Accipe secretum Paracelsi. Fusilis auri  
 2 guttas bis binas, ter ternas, bisque novenas  
 3 misce contuso cum cornu rhinocerotis,  
 4 et sale nitrato, mixtum custodiat alcis  
 5 ungula. Nam emplastro hoc mitescet sura. (Probatu est)  
 6 accipe projectum volitantis sperma draconis :  
 7 (cur oculos claudis ? Quasi non fanatica saepe  
 8 deteriora suis indat Morsella receptis ! )  
 9 Accipe mandragoram, et caudam morientis aselli.  
 10 Accipe serpentis spiras, et frusta tabaci.  
 11 Incoque cum passa ficu, fiatque malagma.  
 12 Ni tollat Podagram, nodos ac tubera saltem  
 13 leniet impositum : vimque experiere. (Probatum est.)
- P81 v.1 Forsan et ex nostro speras Helicone juvari.  
 2 Accipe. Castalii fontis communibus undae  
 3 vix distant, absente Deo : nec stagna moventur  
 4 interius. Nihil inde bibet caeleste poeta :  
 5 nullaque mutandi virtus est pectora vatum.  
 6 Lymphae vulgares. Simul autem intravit Apollo,  
 7 et trepidas commovit aquas vertigine, et alto  
 8 Numine complevit, resonans exaestuat amnis :  
 9 lucentes saliunt bullae : vada torquet anhela  
 10 tempestas, omnesque furens ingurgitat oras  
 11 gurgitis insani. Spumis albescit ab immo,  
 12 vimque salutiferam recipit fons atque canoram.  
 13 Tunc rapere afflatus : tunc exsorbere procellas  
 14 tempus inundantes, et fervere sideris instar  
 15 criniti ; vel...  
 16 Tunc inferre pedes, totumque immergere corpus.  
 17 Qui prior ingreditur, Podagrae depellit acoem.  
 18 Credite : vel famae timide si creditis isti ;  
 19 ante cadam causa quam justa, injusta probetur.  
 20 Dii melius ! Ne quis dicat, me falsa locutum.  
 21 Ille profanus eat lictor, praesitque profanis.  
 22 Nec sit nobilior civis, quam Gintrio noster.  
 23 Quem videt a tergo Janus, ridensque coruscat :  
 24 extenti monstrant digiti, rhonchique sequuntur.  
 25 Opdagricis nondum cessas illudere nostris ?
- P82 v.1 Quid si praeservem ? Medicari lubrica res est.  
 2 Principiis obsta : sero medicina paratur.  
 3 Ille mihi melior, fortunatusque laborum,  
 4 noxia qui prohibens vetat aegrotare clientem.  
 5 Praestat enim morbi primas evellere fibras ;  
 6 et, ne bos vitulus fiat, crescatque mali vis,  
 7 in cunis jugulare suis. Sic cornua demes.  
 8 Utilis exercet corpus labor. Otia pigros  
 9 corrumpunt homines. Sanguis jacet, utque palustris  
 10 stertit aqua ; et segni marcent torpedine venae.  
 11 Inde lues. Itaque et Muis certamina jungas.

- 12 Lude pila, moderare trochum, luctare palaestra :  
 13 fige feras : nemorum truncis impinge bipennem.  
 14 Anne lacus referam, sulcandaque flumina cymba ?  
 15 Pisciculos capias, si sunt halieutica cordi.  
 16 Quales Staurophorus...
- P83 v.1 Nec te paeniteat, Livorne, sequentibus uti.  
 2 Nam divinum aliquid redolent palmamque merentur.  
 3 De scobe loricae cataphracti sume Wilhelmi  
 4 (usus Aquitani ducis, exemplumque docebit.)  
 5 Et galea, quantum satis est : thorace trilici  
 6 Gualfardi ; aut quo se vestivit Onuphrius (ingens  
 7 ostentum mandrae, ac dumis horrentis eremi)  
 8 octo sive decem squamas ; partemque catenae.  
 9 Haec, cum saevit hyems, (namque hac saevire podagra  
 10 consuevit pariter,) felicibus indue coeptis.  
 11 Certum est ; adversus fera temptamenta valere.  
 12 Juverit et zona rigida praecingere lumbos ;  
 13 interdumque pedes tergumque fricare retorta  
 14 cannabe ; (nam crassor humores dissipat) aude.  
 15 Quondam et stipitibus duris, sudibusve praeustis.  
 16 Parcius his tamen, et tantummodo, cum furit aestus.  
 17 Jam vero ad caenam nymphaea adhibere marina,  
 18 cognatamque herbis loton, suadebo Bonardo.  
 19 Aut, quoties patulis invitant Massica labris ;  
 20 et dulces phialas Gaspar Cellarius offert :  
 21 lambere, quae gelidis dependet stiria rectis.  
 22 Frugales Deus ipse juvat. Quod si hydria Pauli  
 23 simplicis arridet ; vel lac ex ubere manans  
 24 Tethyos ; evadet victor, nodosque resolvat.
- P84 v.1 Accipe et hoc monitum, noster dulcissime Marci,  
 2 extremum : nam fessa ratis jam littora spectat.  
 3 Turbidus ardentem nervos cum lancinat humor :  
 4 sic tecum insistas : quanto majora tulerunt  
 5 insontes, quam tu reus exitialis Averni ?  
 6 Ustus membratim vero Laurentius igni,  
 7 fumantem implebat cratem : te fictus adurit.  
 8 Fictum pro vero, tanta raucedine damnes !  
 9 Hippolytus distractus equis : fuit Eustachio bos  
 10 igneus hospitium. Multi periire recisis  
 11 ambusti pedibus, confixi membra sagittis :  
 12 dissecti medii : velati corpora saetis ;  
 13 objecti canibus, Spartanis atque Britannis,  
 14 latrantem pavere famem. Tu sanus olorum  
 15 in plumis recubas, in strato Sardanapali,  
 16 ebrius : et quereris Decii tormenta tyranni ?  
 17 Quid ? totus Stygio mergi torrente mereris,  
 18 et flammam, taurumque pati Phlegethonte sub immo.  
 19 (Nam quid Sicanus Rex, dormitansque Perillus ?  
 20 Carbonum picti cineres, fictique boatus ? )  
 21 Hic veres mirosque ignes, incendia vera  
 22 evomit, atque alias Acheron eructat arenas.  
 23 Ignem autem Omnipotens saevis intendere novit  
 24 arcanisque modis. (Deus est Deus ille Deorum.)  
 25 Supra naturae vires immane levatum,

26 quantumcumque velit flammae immetabilis auctor  
 27 roborat, et stimulis tanto flagrantius urget.  
 28 Ultra octo sine fine gradus. Quid ad ista bitumen  
 29 allambens poplitem ? Nugae sunt vultur obuncus,  
 30 implexique rotae radii, lymphaeque dolosae,  
 31 Autumnusque fugax, et semper mobile saxum.  
 32 Credis et hoc ? Qui te, ne mox rapiare necandus,  
 33 eripuit, Livorne, neci ; non dormiit ostro,  
 34 mollibus effultus cygnis, foliisque rosarum :  
 35 affixus fuit ille cruci : clavisque quaternis  
 36 ex ferro fossus, terram inter et astra pependit :  
 37 felle sitim relevans ; pertusus vocibus aures  
 38 sacrilegis : toto laniatum corpore funus.  
 39 Te capit infusum lectica simillima Ladae :  
 40 invitum quae vel queat invitare soporem.  
 41 Accinit Amphion, et fundit dulcia Rhenus  
 42 demulcet conjux ; lepidi solantur amici.  
 43 Garrit avis : donec podagrae vis tora retusa est.  
 44 Et potes, heu, lecto trux indignarier isti ?  
 45 Duraque Fata queri, quae sunt mollissima fatu ?  
 46 Ecquid agunt, quorum religantur crura catenis ?  
 47 Vinciti compedibus, damnati ad transtra triremis.  
 48 Te trahere ad poenas jam dudum cymba Charontis  
 49 debuerat piceo noxarum fune ligatum.  
 50 Saepius occurrat tibi verbum ex aethere lapsum :  
 51 quos amo, castigo. Minimum est, quod corpore sentis.  
 52 Dicere sustinuit Juturnae Daunius Heros :  
 53 usque adeone mori miserum est ! Dic Murcia saltem  
 54 usque adeone pati miserum est, et ferre dolores  
 55 pro Christo, summoque Bono ? Pro cardine rerum ?  
 56 Vertitur omina in hoc cardo, spes certa salutis.  
 57 Crede mihi e terris non est via mollis ad astra.  
 58 Si pateris ; multo patiendi exercitus usu,  
 59 ad patriam reptans, tanto velocior ibis.  
 60 Quo non pertingunt ocreae, celeresque quadrigae.  
 61 Festinat lente podagra : at compendia carpens  
 62 praevenit Hipponam, natumque Atlante nepotem.  
 63 Ocius ad caelum rapidis affectibus itur,  
 64 non pedibus ; non curriculo ; clarissimus Afer  
 65 Hipponensis ait, Magni lux altera mundi.  
 66 Quare age, cum fibras rabies arcana flagellat,  
 67 et pes intumuit ; totum permittite Deo te.  
 68 Assentire Deo : fies divinus et ipse.  
 69 Ante movebaris : quod jam sis mobile fixum,  
 70 mitte queri. Cum te revocabit Anastasis olim  
 71 ad vitam : superabis aves sine remige penna.  
 72 Transiliens colles et summa cacumina, cures,  
 73 cervus ut ad fontes, celeresque ad pocula damae.

P85 v.1 Forsitan ex alio potum quoque fonte requiras ;  
 2 nempe Cleanthaeo. Quamquam hujus turbida vena ;  
 3 saepe etiam faex manat aquae, tamen optimus haustus  
 4 robustum intrabit stomachum. Nam Stoicus humor  
 5 masculus est, limumque vehit, multumque saporis.  
 6 Sulphurei trahit atque salis, veterisque metalli.  
 7 Potio diversis morbis concepta medetur.  
 8 Ebibe. Spumantem pateram tibi porrigo, Marci.

9 Ingressus Polemon vivensque vidensque sepulcrum  
 10 procubuit, Mortem meditans, finemque dolendi.  
 11 Quin et tu feretrum sterni tibi funebre mandas ?  
 12 In quo suave jacens, et te speculatus iturum  
 13 ad plures ; tecum vulgo majora loquaris.  
 14 Sic adeo : quid agis totis, Livorne, diebus ?  
 15 Num metuis Podagram ? Nihil est, nisi inane cadaver.  
 16 Major sum, quam cui possit Larva ista nocere.  
 17 Adveniat fera Mors. Dicam : vis sistere cursum ?  
 18 Sero venis. Jam jam ante stiti : non grande trophaeum  
 19 ex me mactato referes. Praevenimus arcum,  
 20 insidiasque tuas. Sed mox portabere, dices.  
 21 Quando ivi ? Decimus jam circumvertitur annus :  
 22 ex quo me semper soliti sunt ferre ministri.  
 23 At ferri a famulis forsam jam dura negabis  
 24 posse, nisi ad tumulum ? Sed et haec sperata quies est.  
 25 Nam nec inassuetum, nec triste, quiescere, nobis.  
 26 Nil opus ergo minis. Sperno tua sibila. Vixi.  
 27 Involvam me pelle mea, vivusque sub Umbras  
 28 descendam, magnorum haud umquam indignus avorum.  
 29 Hispidus iste quidem sophus, et promittere verbis  
 30 multa potens : sed si dari permittimus ; alter  
 31 formidabilior sacris mugitibus instar.

P86

v.1 Ultimus, o Livone, tibi profertur Achilles :  
 2 quem mihi poscenti submisit Achilleus Hebla.  
 3 Grande aliquid, nunquam visu audituque relatum  
 4 dicitur ex vasto Maracostae Sosthenis ore  
 5 excepisse. Stoeae totam communico sectam.  
 6 Aere velut fusus secum haec oracula sanxit.  
 7 Congredere exarmande Dolor, mea livida serra.  
 8 Debilitas digitos : non et caput. Istud in alto est,  
 9 securumque sui. Longe inferiora relinquo.  
 10 Ardentes Podagrae nequidquam curo sarissas.  
 11 Etsi vel Macedo majores adderet hastas.  
 12 Ure, seca corpus. Mens nostra immota manebit.  
 13 Materiam nobis illustris flamma ministrat  
 14 laudis. Habet virtus, quo se nunc improba jactet.  
 15 Haud equidem tormenta peto toleranda, quod urant,  
 16 excrucient, laedant : sed ut illis rite probatus,  
 17 talibus ostendam subigi non posse ferocem  
 18 invictumque animum, caeco fuit igne tumultus :  
 19 non gemo propterea. Fodicat : sed non gemo. Scindit :  
 20 non tamen idcirco gemitum dolor exprimit ullum.  
 21 Estne dolor ? (liceat dubitare) an opinio tantum ?  
 22 Vanaque pro vero conficta doloris imago.  
 23 Nempe malum imprudens plebs aestimat esse Podagram.  
 24 Atqui Stilpo meus nullum docet in sapientem  
 25 posse malum cadere, et luctu convellere pectus.  
 26 Curemus Podagram, qui non curamur ab ipsa ?  
 27 Alloquor audacter. Quid vis mea vipera ? Morde.  
 28 Jamdudum perferre tuos assuevimus ictus.  
 29 Vinceris. Minuet fictum constantia virus.  
 30 Sic, qui serpentem domuerunt pulveris haustu  
 31 combibiti ; manibus tractant impune furentem :  
 32 perque sinus errare sinunt, per colla, comasque.  
 33 Ast ego et in plantis tolero : sed rideo linguam

34 ore exsertantem. Lambit, non laedere novit.  
 35 Laeditur invitus. Non est invitus, ad omnes  
 36 nictans divorum nutus. Namque hoc volo, quod Dii  
 37 velle, quod hi statuunt, ea, credo, est sancta voluptas.  
 38 Cervus, equus, capreae pedibus valeantque, volentque ;  
 39 si valeo ratione, sat est. Contentus et ingens  
 40 hac fruor ; et plenus Fatis, me immergo cavenae :  
 41 stet licet in medio cynice angustata simeto.  
 42 Villa quid curem ? Non sum circensibus aptus ;  
 43 sed neque sum natus. Non duris caestibus aptus :  
 44 sed neque ad hos natus. Superabor praepete cursu :  
 45 sed neque sum Turni nitidis pecus ex armentis ;  
 46 qua candore nives anteibat, cursibus auras.  
 47 Grandis poena, timor, multi formidine pallent ;  
 48 si rumor, vel fama mali, tenuisque susurrus  
 49 ingruit : exspectant maesti metuuntque futurum.  
 50 Nil equidem exspecto, volgi terrore solutus.  
 51 Jam scio, quid volgus timeat : quid sit male habere.  
 52 Diis grates. Lentam possum irridere Podagram ;  
 53 expertus, nihil esse mali. Non culpa vocatur,  
 54 sed morbus. Sed enim, nisi Porticus omnis aberrat,  
 55 non adversantur rationi morbus, egestas,  
 56 probrum, pauperies, jactum in dispendia corpus.  
 57 Omnia proposuit mala mi Natura ferenda.  
 58 Ecce, pedes tantum laesit. Sunt caetera salva.  
 59 O Clemens, mitisque Parens ; si non nisi fortis  
 60 est justus gaudere potest, ut Corduba dixit :  
 61 ergo nisi injustus pariter mollisque dolere  
 62 non poterit. Ratio est eadem in contraria vergens.  
 63 Quidnam aliud Natura potest, precor, exigere a me  
 64 quam ut patiar, patiarque libens, et fortiter. Ohe !  
 65 Plus neque praestabit, nec Juppiter ipse requiret.  
 66 Tollite Philyriden, natamque Machaone turbam.  
 67 Nil mihi cum medicis. Sinite insanire beatum  
 68 quantiscumque malis. A se impetrat omnia, qui se  
 69 indomita virtute domat.  
 70 Vocibus his major, quam currum in pulvere versans ;  
 71 laudatusve citis pedibus praevertere ventum.

P87 v.1 Anchora de prora jacitur : stant littore puppes.  
 2 Hactenus ex adytis Cyrrhae, variisque sonanda  
 3 porticibus, Livorne : quibus nil addere restat.  
 4 Si nostra admittis solatia ; teque furentem  
 5 lenivere ; bene est. Si non admissa fuerunt ;  
 6 jam nunc edico : constanter perge dolere,  
 7 perge mori : morieris enim : jam nubilus Auster  
 8 incubuit pedibus : jamque ultima funebris horror  
 9 fundamenta quatit. Casuris prospice fulcris.  
 10 Arx antiqua ruet, multos dominata per annos.  
 11 Marmoribus substructa brevi laquearia linques.  
 12 Aeternamque Domum pedicis resolutus adibis.  
 13 Falciferam scis esse Necem : sed falcibus imma ;  
 14 et propiora solo messorum gramina tondent.  
 15 Incipit a pedibus maturum prona cadaver  
 16 mors metere. Elysias jamlaxant horrea portas.  
 17 Nauta per Oceanum vitae mortalis amarum,  
 18 et valde salsum, remos (tamen ipse fateris)



- 19 ducens vela facis. Vigila, et scrutare carinam,  
 20 sentinam trahere, et fundum spectare videtur.  
 21 O quid agis ? Cunctaris adhuc disponere funus ?  
 22 Tolle moras : serpunt menses. Opdagricus ut sis  
 23 annosus : certe tua Parca Podagrica non est.  
 24 Illa citis glomerat pedibus tua fila, trahitque.  
 25 Lydorum ut citius nequeat subtilis Arachne ;  
 26 ingeniosa quidem sua pensa retexuit olim  
 27 Penelope. Abnutat Clotho. Nam nulla retexit.  
 28 Quam semel exorsa est, cum telam absolverit ; illa  
 29 confecta indutum portabere funus ad Umbras.
- P88A v.1 Ergo age, et intrepidus Fatis occurre propinquis,  
 2 ludifica Mortem : Podagramque oppone, velut si  
 3 Aegida concutias, magnamque merebere famam.  
 4 Clarus ab exequiis, etiam post Fata legendus,  
 5 fortiter occumbens. Quam pulchrae fascia mortis  
 6 circum texta dabit, sertis fragrantibus urnam !  
 7 Serpillisque hederisque, aliisque pedestribus herbis !  
 8 Quale incidetur famosis Lemma sepulcris !  
 9 Aemula subjicio veteris paradigmata saeculi.  
 10 Diversis visenda locis. Wormatia tale  
 11 marmor habet, nigroque inscriptum marmore carmen.
- P88B v.1 "Hic situs est Acragas, in viva calce sepultus ;  
 2 nempe sua. Potuit nummis vel prodigus heres  
 3 parcere, se functus gleba tumulavit inempta."  
 4 Tale Argentinae stat Templi in parte sinistra.
- P88C v.1 "Hic, cujus calcas monumentum, care viator.  
 2 Ut post Fata jacet, sic ante et Fata jacebat.  
 3 Decubuit semper pretiosi munere morbi.  
 4 Dives erat : bona vina bibit. Ne plura requiras.  
 5 Cetera divines, licet, extinctoque preceris  
 6 optima. Adhuc sitiunt cineres, impone lagenam."  
 7 Cum Norimbergam transirem, in pariete legi.
- P88D v.1 "Hic duo, ne longum mirere, jacemus in uno :  
 2 Sebaldu Lampach, cum Lampachoque Podagra."  
 3 Tale Selestadii lustratum legimus olim.
- P88E v.1 "Hoc Bibiana loca jacet Hospita, et hostia pinguis.  
 2 Re nomen meruisse meum Germana probavi.  
 3 Triste puerperium vivorum sustulit Albo :  
 4 erasamque Deae Libitinae scribit in atro.  
 5 A Baccho praegnans, sum tandem enixa Podagram.  
 6 Ingrata occidit miserandam Filia matrem."  
 7 Subscriptum misit dilecta Colonia Rheno
- P88F v.1 "Quo Fato extinctus jaceam, ne quaere viator.  
 2 Parca manu leni reliquis sua sila resolvit.  
 3 Ebria sed tumido rupit pede stamina nobis."  
 4 Incisum vivo lapidi fert tale Vienna.
- P88G v.1 "Hic est compostus Fridericus Tympanobombus.  
 2 Moribus, et tota vita mirabilis Hospes.  
 3 Annis triginta Solem non viderat umquam

- 4 sobrius : uxoris Podagra crudelis amator."  
5 Ad Divi Stephani dextrum latus exhibet istud.
- P88H v.1 "Hic situs est Baylas Podagra cretaque tenaci  
2 implicitus. Non ergo nigre carbone meretur  
3 Umbris adscribi : sed creta, alboque lapillo."  
4 In Wemblingani reperitur limine Templi.
- P88I v.1 Hic jacet Arnulphus Schnargutius. A Podagra qui  
2 magnam habuit famam, vita melioris egentem.  
3 Vivere enim illius fuit hoc : bibere atque dolere."  
4 In Lavingano stat prodigiosius agro.
- P88J v.1 "Qui situs hic recubat, medicos, dum viveret, omnes  
2 inventa superans procerus rusticus arte  
3 tollere nodosam docuit Stambura Podagram :  
4 Algovio genitore satus, genitrice Bohema.  
5 Majorem digitum pedis abscidit, atque fugavit,  
6 trans istrum Podagram cum femineo ululatu."  
7 Dicitur Augustae veteri pendere columna.
- P88K v.1 "Hoc jacet Afra loco, textoris filia Galli.  
2 Heu mihi ! Quod mater nequeant succisa paterque  
3 Fata redordiri conatibus Atropos obstat.  
4 Forfex, qua secuit mea fila. Podagra vocatur."  
5 Obscuris Basilea notis sic lusit in umbram.
- P88L v.1 "Gordius hic jaceo. Podagrae me debeo totum.  
2 Namque adeo nodis religatos torserat artus ;  
3 nomine reque duplex ut nodus Gordius essem :  
4 par Phrygio. Quem non Podalirius Hippocratesque  
5 solvissent ; sed nec juvenis Pellaeus ; acuta  
6 Mors solvit. Stricto valuit plus ense sagitta.  
7 Hujus frustra jacent nodi jam sparsa sepulcro."  
8 Famosis aiunt Bruxellis tale videri.
- P88M v.1 "Hic sita continuos viginti sederat annos.  
2 Si mors docta foret, choreas fixisset agentem.  
3 Non tantae fuit artis opus fixisse sedentem."  
4 non procul Eistadio cernas in limite Pagi.
- P88N v.1 "Hoc loculo jaceo Walburga Meletia. Vixi  
2 annos ter denos. Plures Citherea negavit.  
3 Multo pota mero, gemina sum peste perempta.  
4 Ex urna vini, feralem mittor in urnam.  
5 Qua mulier citius vult immatura perire ;  
6 in mea descendat vestigia : moxque sequetur."  
7 Staubingae Bavarum similis scriptura notavit.
- P88O v.1 "Saepius optabam mortem Trapus aeger, inopsque.  
2 Inventa est contra vitam medicina, Podagra.  
3 Huic grates habeo : vinclis quod solverit istis."  
4 Franciscus Petrarcha sequens suscripsit Alano.
- P88P v.1 "Orator duxi Podagram inter pocula. Dixi.  
2 Sic mea deducta est ad calcem oratio. Vixi."  
3 Prosequitur Venuli Manes hoc carmine Bembus.

- P88Q v.1 "Quisquis es a viso fuge caespite funeris hujus.  
2 Nam sub eo mordens latet anguis, dira Podagra.  
3 Quod Lucas Venulus serpente cadavere testor."  
4 Gangulfi Pitii fatum Verona loquatur.
- P88R v.1 "Hic jacet a trunco pedetemptim mortuus immo  
2 Gangulphus. Quanto felicior Ottilione !  
3 Quem vi gutta cadens subito tamen abstulit orbi.  
4 Intulit hanc illi. Manibus pedibusque laborans. "  
5 Madriti legitur subjectum hoc funebre carmen.
- P88S v.1 "Ante necem Podagrae flammis cruciantibus arsi.  
2 Frigeo post illas Petrus Speuanza. Valete."  
3 illud Parisiis, Genovefae ostenderit aedes.
- P88T v.1 "Disce hominum sortes, et gressum siste viator.  
2 Ossa dealbati te scito videre sepulchri.  
3 Visus enim dives, felix, et honoribus auctus,  
4 quos dedit Henrici favor et fortuna secundi,  
5 a Podagra Paullus Lamotta miserrimus hic est."  
6 Londini ad Thamesin pia sic Libitina perorat.
- P88U v.1 "Parcite Mortales Baccho Venerique litare.  
2 Namque eadem, qua vos generat, necat. Id quoque sensit  
3 Bembra, sub hoc clusus saxo custode sepulcri.  
4 Corpore summo alsit ; medio computruit ; immo  
5 arsit. Inexpertum fera nil sinit esse voluptas.  
6 Poena tamen praesens membris impletur ab ipsis.  
7 Pae qua quis peccat, per et hac punitur iniquus.  
8 Parcite Mortales Baccho Venerique litare."
- P89 v.1 Haec ad Danubium patientem frena Philippi.  
2 Arce nova. Scriptus quo tempore miles ovantes,  
3 implevit cuneos ; vexillaque plena leonum  
4 in medio crispata Foro tumuere per auras.  
5 Pulchra recens belli facies. Dux agminis hujus  
6 Spilbergerus erat, nulli Mavorte secundus.  
7 Signiferum fecit juvenem generosa cupido,  
8 ante dies, Cosmum, cognomine "Bracciolinum" :  
9 quem posses alium jam dicere Parthenopaeum.  
10 Fit subito strepitus ; postquam juravit in arma  
11 turma ferox ; magonsque edens per inane fragores,  
12 exonerata crepat succendo fistula nitro.  
13 Ter strictis acies, ceu fulgur, inhorruit, hastis.  
14 Maeandrosque suos passus, variasque figuras,  
15 proelia praeludens ter in orbem terga reflexit.  
16 Ter sese augustas Domini convertit ad aedes,  
17 spumantes largo vino, madidasque fenestras.  
18 Flammiferae nubes duxere per aera sulcos.  
19 Omnia fumabant elisi pulveris igni.  
20 Quin radios visus sol contraxisse paventes,  
21 fama fuit. Sed ego, in medio, quae incerta, relinquo.  
22 Quo ruitis tanto sonitu, talique paratu.  
23 Vestra, Neoptolemi, Gradivo nomina dantes ?  
24 In bellum ? Bene habet. Differte pericula tantum.  
25 Exspectate parum. Dabitur mox copia mortis.  
26 Hostis cum sese stiterit, dstringite ferrum :

27 et coram propius furvos ostendere vultus.  
28 Signa canunt, raucoque invitant tympana pulsu.  
29 Ite albis avibus, nigras vitate volucres,  
30 scrutantes oculum. Plerumque hae castra sequuntur.  
31 Vos equidem Podagrae nullius ferra secabit,  
32 (quantum bella sinunt, et casta ac sobria vita)  
33 fata tamen pejora manent. Pars crura pedesque  
34 amittent, ustos, mutilos, penitusque recisos.  
35 Pars et cervicem perdent. Pars pendula furcas  
36 vestiet, et raptam deponet in arbore praedam.  
37 Quisque suos patimur manes. Spectare fluentis  
38 Danubii celerem cursum. Dilabimur omnes  
39 in mare sicut aqua. Citius procurrit in aequor  
40 militia, ut rapidus torrens. Nos Pacis alumni,  
41 pacatae, majore mora, ceu rivulus undae.  
42 In tumultum tamen instar aquae dilabimur omnes.  
43 Ergo vita vale : vosque o, quos flamma Podagrae  
44 invidiosa fovet, plantisque alludit amicis.  
45 Quique sedere diu, vel saepe jacere coacti  
46 ducitis insomnes lecto noctesque diesque ;  
47 cumque aegris sani, cum rectis genua labantes,  
48 cum Macris Pingues, cum torvis ora venusti ;  
49 cumque Mathematicis geminum, Majusque Minusque  
50 lumen ; et Eclipsis nostris cantata Camenis.  
51 Vosque Tabacophili, risu fumante notati  
52 a vestri cultore Foci ; Musaeque jocosae,  
53 ambiguique Sales : Satyri, Satyraeque valete.